IANI NICII

ERYTHRÆI

EVDEMIÆ

LIBRI DECEM.



COLONIÆ VBIORVM,

Apud IODOCVM KALCOVIVM,

& ſocios. CIↃ IↃ C XLV.

3

EVDEMIA hæc luce donetur. Coloniæ Agrippinæ, Octobri CIↃIↃCXLIV.

Henricus Francken Sierstorpffius, SS. Theol. Doctor; librorum Censor.

HIERONYMO ALEANDRO IVNIORI IANVS NICIVS ERYTHRÆVS S. P. D.



Eri, cum essem ociosus domi, quo molestis cogitationibus, quibus sæpe appetor, omnes ad me aditus obstruerem, cepi in manus librum, nuper à te editum; atque totum illud tempus, quod in ea lectione posui, ita ad nullos curarum scopulos mentem offendi, ut si tutissima aliqua navi vectus placidissimũ æquor excurrerem. Detinebat me præsertim abundantia doctrinæ atque varietas, liquidum ac profluens & in nullas obscuritatis salebras incidens orationis flumen, & copia, in qua naturalis inest, non fucatus, nitor. Etenim, ut sæpius ex me audisti, tua cum lego, esse mihi satis doctus videor. nam dicis plane quod intelligam. sunt enim omnia in tuis scriptis aperta, dilucida, ac tuis moribus omnino similia; qui nihil simulatum, nihil fictum obtendunt, sed, quidquid tibi intus in animo latet, aperiunt ac proferunt. At, si quando in istorum scripta incidi, qui nunc in Acade-

miis, in ſcholis, dominantur ac volitant, deſpondeo animum, ac pœnitet me, quod navaverim operam litteris. etenim in ſingulis quibuſque verſiculis hæreo; interdum verbum in illis nullum intelligo; quod tarditate ingenii mei, vel potius inſcitia, fieri arbitror. Atque avocarem omnino animum ab his litteris, & ad alia ſtudia transferrem, niſi me veterum ſcriptorum libri retinerent. Ad quos cum me converto; admirabili illa ac prope divina ſuavitate puritateque ſermonis recreatus, ſentio mihi animos addi, atque in eam opinionem adducor, ut ipſis etiam antiquis iſtorum orationem viſum iri obſcuram exiſtimem, ſi illorum ad aures ea veniſſet. Ac mihi quidem ſæpenumero in novos iſtos ſcriptores intuenti, quærendum eſſe viſum eſt, quid eſſet, quod homines in veterum lectione aſſuefacti, eorum, ut ita dicam, cantu ſuam non colorarent orationem. At eorum unus hunc mihi demum ex animo ſcrupulum evellit; qui, interrogatus de hac ipſa re, inquit; Verba pura atque dilucida, ſententias apertas, & intelligentiæ cujuſvis obvias, à delicatis & elegantibus hujus ſeculi auribus reſpui; ab eiſque infinitum quiddam expoſci. Sed infinitum iſtud nuſquam cum reperiatur, illud perſuadere conantur, in obſcuritate ſermonis ac

ſen-

ſententiarum, tanquam aliquod myſterium, involvi. Atqui judicium ſuum cum iſtorum auctoritate conjunxerat amicus ille noſter, qui ſuis commentariis, regi, vel, ut Cicero inquit, deo Philoſophorum, Platoni, an lucem an tenebras? attulit. cum illi carmen egregium nobilis cujuſdam poëtæ legiſſem, atque expectarem ut clamaret, Pulchre, bene, recte; non potuit melius; alia, quæ admiratio dictat; ecce tibi, mentum intorquet, atque, Luculentum eſt, inquit, hoc carmen, ſed nimis apertum ac dilucidum: quanto illud eſſet illuſtrius, ſi plurimum doctæ obſcuritatis includeret? Hoc reſponſo cerebroſus aliquis exarſiſſet; ac deriſori illi in os involaſſet. Quis unquam, obſecro, ex tenebris lucem expectet? quis perſpicuitatem ſermonis cuiquam vitio vortit? quis non eidem in orationis laudibus primas detulit? Prima, inquit Cicero, laus in oratione, perſpicuitas. Eam vero Quintilianus modo primam, modo ſummam eloquentiæ virtutem appellat, nullamque vitioſiorem eſſe orationem affirmat, quam quæ egeat interprete; denique, Eſt, inquit, obſcurior, quo quiſque deterior? Quid multis moror? poëma ceteroqui egregium, quod eſſet apertum atque dilucidum, non aliam ob cauſam in

reprehenſionem hominis docti incurrit. At hic fortaſſe ex eo hominum numero erat, qui, ut eſt in ſacris litteris, lucem tenebras, & tenebras lucem appellant. Redeo ad iſtos rerum magnificarum, admirabilium, infinitarum artifices ac magiſtros; qui, quo auribus infinita expectantium occurrant, verba propria, ac rem explicantia, tanquam ante pedes poſita, rejiciunt; abdita, abſtruſa, recondita, è tenebris evocant; quæ nemini unquam ſano venerunt in mentem, excogitant; eaque non circumveſtiunt verbis, ut poſſint intelligi, ſed ſepiunt fumo atramentoque, ne percipi queant: ſemper tumidi, ſemper inflati, alas pandunt, montium vertices appetunt, nubes & inania captant. Qui, ut ceteris vitiis careant, vel hoc ipſo corrupti exiſtimandi ſunt, quod tumidi: ut enim corpora, non robore, ſed valetudine inflantur; ita etiam oratio, non viribus, ſed morbo vitioque turgeſcit. Verum his artibus ſeſe imperitis adoleſcentibus venditant, qui ea, quæ non intelligunt, admirantur & obſtupeſcunt. In quo Plautino illi coquo ſimiles inveniuntur, qui, ut ſe lenoni, cui coctum ibat, commendaret, culpabat condimenta omnia, quibus alii coqui cœnas condiebant, ac nova & portentoſa condimen-

mentorum genera afferebat, cicilendrum, polindrum, macidem, cicimandrum, happalopsidem, cataractriam; quæ omnia non rerum certarum, sed nugarum inanissimarum sunt vocabula. Ita etiam isti, non item ut ceteri Latini scriptores, orationem suam condiunt; videlicet sententiis acutis & gravibus, translatis illustribus, & ratione sumtis, verborum complexione tenera atque flexibili; sed sententiolis puerilibus ac prope ridiculis, translatis immanibus ac furiosis, vi impetuque tanquam in alienam domum irrumpentibus, denique inextricabili verborum nexu, omnia perturbant ac miscent. Sed cum in omni oratione eorum vanitas manifesta est, tum maxime in exordiis se prodit. non enim naturam ducem sequuntur, quæ res maximas atque admirabiles levioribus principiis prætexuit; sed statim ab initio montes transvolant, seque nubibus inferunt: nam minus altam & exaggeratam fore ipsorum orationem existimant, nisi se universa profundat, atque ita repente in altum advolet, ut mentis aciem effugiat. Venit mihi in mentem hoc loco Cæstii declamatoris, qui apud discipulos suos in schola responsurus orationi Ciceronis pro Milone, hoc utebatur principio: Si Thrax essem, Fusius essem;

ſem ; ſi pantomimus eſſem, Pantillus eſſem ; ſi eques, Meliſon. Aderat ibi forte Seneca pater ; qui, ut erat acri vir ingenio, & judicio ſingulari, non continuit bilem, ſed palam cunctis audientibus dixit, Si cloaca eſſes, magna eſſes. Tum riſu omnes, qui aderant, emori ; Cæſtius obmuteſcere, ut, qui Ciceroni reſponſurus erat, Senecæ quid reſponderet, non haberet. Illud in primis ridiculum, quod Seneca, nactus deinde in foro Cæſtium, obtorto collo, ad omnes eum Prætores abſtraxit, & vario litium genere vexare joci cauſa cœpit. Verum cum, intervenientibus amicis ad ſpectaculum, & rogantibus, dixiſſet, moleſtum ſe amplius non futurum, ſi juraſſet, diſertiorem eſſe Ciceronem quam ſe, nunquam, ut hoc faceret, vel joco vel ſerio effici potuit. Quid? putaſne quod Seneca, ſi reviviſceret, hanc ab iſtis confeſſionem terroribus vel minis exprimeret? Equidem arbitror, millies eos antea vitam amiſſuros, quam ſe Ciceroni poſtpoſituros. Vivit, etiam nunc vivit, ac ſine metu lapidum ſecurus ante omnium ora perambulat, qui, cum Ciceronis orationes ſummis laudibus efferrem, quaſi ſtomachans ait ; Quid, malum, in orationibus illis tot laudibus dignum invenias? pueri hodie

die ita ſcribunt ut Cicero. At ego hunc hominem non in jus ad Prætorem per jocum vocarem, ſed, ſi regnum hic obtinerem, in vincula duci, atque ad triremim rapi juberem, ut remigum numerum augeret. Sed audi alterum, non minus flagitioſe inſanientem. Loquenti mihi de his ipſis Ciceronis orationibus apud unum de iſtis, qui volunt omnia calamiſtris inurere; Sunt, inquit, Ciceronis ſcripta telæ cujuſdam inſtar ſimplicis ac nudæ, quibus ego varia ornamentorum genera, tanquam Phrygium aliquod opus, inſuerem. Si adeo olim in rhetorem quendam exarſi, quod Manutium, Turſellinum, Bunellum, primæ notæ homines, ut nullius ingenii, carpebat, ideo quia eorum ſcripta ornamentorum, ut ipſe ajebat, ſed ut ego ſoleo dicere, ineptiarum nihil haberent; quo ſtomacho, qua iracundia me eſſe elatum in illum exiſtimas, qui, hoc eodem genere, eloquentiæ parentem circumſcriberet? Quod ſi huic inornatus eſt Cicero, in quo omnes flores, omnes veneres, atque omnis elegantiæ nitor elucet, in cujus labris multo verius, quam olim dictum eſt de Pericle, eloquentiæ dea ſeſſitavit; ornatuſne Cæſar videbitur, cujus commentarii nudi exiſtimantur ac recti, omni ornatu orationis tanquam veſte detra-
 cta?

cta? At si ineptus, stultus, insanus semper est habitus, qui eisdem commentariis, præbitam sibi potius, quam præreptam scribendi materiam existimavit; videat ille, qui ornatissimas Ciceronis orationes, tanquam infulas ducit, in quibus pueriles aliquas delicias depingat, vel tanquam fores vel parietes habet, quos elogiorum carbonibus impleat, ne in eorum stultorum numero sit habendus, quorum tutela ex lege XII tabularum ad agnatos & proximos abeat. Sed ego fortasse stultus, qui ea, quæ non intelligo, reprehendo, & inscitiæ meæ culpam in abstrusam atque reconditam doctrinæ illorum vim varietatemque conjicio. Quamobrem redeo cum illis in gratiam, meque ad illorum sapientiam prope nihil esse confiteor: verum posthac ab eorum libris abstinebo, meque tecum vel cum iis oblectabo, qui volunt esse nobis, qui non sumus eruditissimi, familiares. Sed venit mihi in mentem, mittere ad te hoc breve opus, quod proximis æstivis diebus, fallendi temporis caussa, ex quibusdam narrationibus, olim à me scriptis, paucis quibusdam additis texui. In quo si non eadem, quæ in tuis scriptis, orationis copia ac nitor elucet, eadem saltem mens & conatus apparet. Nam summa data est opera à me, si tamen

men assequi potui, ut orationis cursus pure ac dilucide, velut liquidus ac profluens amnis, nulla verborum insolentia, nullaque obscuritate, tanquam cœno, persusus, devolveretur. Sed ego insanio, qui, dum me debeam exolvere, tibi arctius obstringo: quantum enim ad id, quod tibi debeo, accesserit, si aliquid temporis in his percurrendis insumseris? Fac, me diligas, & valetudinem tuam, publico litterarum bono, cures diligenter.



LECTORI

SALVTEM.



Peræ precium me esse factu-rum existimavi, si ab eis, qui ad hæc inspicienda ag-grediuntur, pauca quædam antea precer. Primum, ut persuasum sibi esse velint, nullius à me hominis, quem quidem ego no-verim, famam, hac narratione lacerari car-pique; sed eos tantum mores exponi, qui jam inde ab hominibus natis omnium populorum judicio damnantur ac rejiciuntur. Deinde nullam Remp. earum, quæ nunc vigent, in hac civitate, quam ego describo, derideri at-que contemni; sed improbis civibus ea vicia assignari, in quibus, qui mœnibus eisdem continentur, præsertim labuntur & cadunt: ad eum finem, ut, prope in conspectum ad-ducta deformitate sua, contemplantibus odi-um ingenerent. Postremo, qui hæc attige-rint, pro comperto habeant velim, in hac scriptione nihil tam mihi fuisse propositum, quam voluptatem aliquam legentibus quæ-

rere.

rere. nam, qui ab iis se maxime vitiis abstinent, quæ in aliis reprehendent, erit causa cur latenter ac festinantius prodeant, virtutibus longius: qui vero eorum aliquibus se esse affines intelligent, deformitate eorundem commoti, dabunt operam, Deo juvante, ut ab eisdem emergant, & ad honestatis terminos, unde recesserunt, quam primum regrediantur.



ARGV-

ARGUMENTUM.


CUm Sejani conjuratio, contra Tiberium inita, palam esset, Flavius Vopiscus Niger, & Paulus Æmilius Verus, ejusdem conjurationis conscii, veriti ne indicarentur, statuunt, fuga sibi consulere. quamobrem conscenso navigio, quod in Africam solvebat, post longam ac prosperam navigationem, adversa tempestate abrepti, ab eaque diu multumque exagitati, in unam ex insulis Mauritaniæ, Eudemia nomine, aliis etiam Mauris incognitam, abstrahuntur; ubi, naufragi & incerti vagantes, à Gallonio, cive Romano, qui quinquennium ante eodem tempestate delatus fuerat, excipiuntur, & partim ab eo, partim suis ipsi oculis, de eorum hominum moribus multa percipiunt.

IN

IN EFFIGIEM IANI NICII ERYTHRÆI.

Talis ab Ausoniis Erythræus mittitur oris.
Plaude, Batave: tuos intrat imago sinus.
Suadæ os, suave micat; recreat facundia vultus:
Quæque labris nequiit lima, dat ipsa libris.
Irrita sedulitas, absentem fingere: præsens
In Sophiæ chartis notior ille suis.
Tibri Pater, tales mittas, ditissime, nobis:
Doctior ac tandem ditior Ya fluet.

I. R. Ingelius, I. C. Amstelodami,
Octobri CIↃ IↃ CXLIV.



IANVS NICIVS
ERYTHRÆVS.

IANI NICII ERYTHRÆI EVDEMIA.

LIBER I.



IAM Sejani conjuratio palam illuxerat, & Tiberii crudelis animus in omne genus feritatis eruperat, cum ego Flavius Vopiſcus Niger, & mecum Paulus Æmilius Verus, qui in ejuſdem conjurationis ſocietate, tanquam in equo Trojano, includebamur, veriti ejus ſævitiam, noctu clam navim, quæ in Africam ſolvebat, aſcendimus, ut inde in remotiſſimas orbis terræ partes transferremur, ubi neque Tiberii, neque urbis nomen audiretur. Sed votis noſtris fortuna, largius etiam quam optabamus, occurrit. Nam, cum aliquandiu tranquillo placidoque mari vecti eſſemus, decimo poſt die, ſævo & implacabili uti cœpimus. Etenim ſubito inhorruit, atque erumpentibus undique ventis ita deſæviit, ut aliquot poſt menſes, naufragos nos & pene perditos, armamentis fere omnibus amiſſis, in longinquas & incertas regiones abſtraxerit. Itaque ſarcinulis noſtris collectis, in quibus erant gemmæ complures, atque auri magna vis, in terram deſcendimus. Ac primo vaſtæ regiones occurrunt, deſertæ; nulla in illis arbor, nullum ædificium, nullum culti ſoli veſtigium. tum aperuere ſe campi, virenti gramine læti, omnique florum varietate veſtiti; liquores amnium perlucidi; lacus limpidiſſimi, dulcibus aquis paſſim manantibus decurrentibuſque collecti; colles amœniſſimi, vitibus arboribuſque conſiti; quorum unus, paulo eminentior ceteris, impoſitas ſublimi vertice ferebat ædes, modicas illas quidem, ſed lepide factas atque venuſte; ante quas formoſiſſima morus, depellendi æſtus cauſa, ramos late fundebat. Quem locum domino ad quietem animi & delectationem quæſitum eſſe, docebat inſcriptio ædibus præfixa.

Formosi colles, Bacchi suprema voluptas,
Et jucunda oculis arva beata meis,
Fœcunda valles, semperque virentia prata,
Qua vaga muscosis diffugit unda jugis;
Hoc date pro votis, ut mens oblita malorum,
Ocia pacatis degat amica locis.
Elysios vobis jam sic non præferet agros,
Notaque felici flumina ducta solo.

Loci amœnitas, & lassitudo, fessos ad requiem vocabat; sed fames, & cupiditas cognoscendi, quo cœlo tegeremur, quodque hominum genus ea loca teneret, progredi longius cogebat. Sed vix millia repsimus tria, cum nova rerum facies se offert; loca horrida, inculta, vepribus ac spinis obsita; speluncæ in incredibilem altitudinem depressæ; aditus asperi ac peranguſti, modo ascensus, modo descensus, atque in præcipitia. Sed hæc quoque incommoda evadimus, & in æquatam agri planiciem devenimus: rursus flores lectissimi, aquæ perennes, arbores procerrimæ ac viridissimæ, &, in summa ejus agri planicie, horti perpetua macerie conclusi conspiciuntur. In quorum aditu hoc hexastichon capitalibus litteris affabre insculptum perlegimus,

Præcipites inter quas nunc Lucania montes
Delicias nutrit, visere quisquis amas,
Ne loca præruptis mirere horrentia saxis,
Et sterilem denso robore fessus humum:
Ad nova tantarum siquidem miracula rerum
Debuerant faciles non patuisse via.

Et quia loci cultus & elegantia spem dabat, brevi affuturum, qui nos certos faceret, quo sub cælo, aut quibus in regionibus animam duceremus, membra, longo itinere defatigata, in herba projecimus, sub umbra, quam multæ atque proceræ ulmi, ad opacandum eum locum patulis diffusæ ramis, efficiebant. Nec spes fefellit. nam haud ita multo post, magno cum strepitu, pessula ingentia foribus hortorum obdita removeri sentimus: atque ecce tibi, nobis sese in conspectum dat vir quidam, peregrino sane cultu, sed facie urbana, planeque Romani generis propria. Qui simul ut nos vidit, suspexit in cælum, &, Grates, inquit, tibi ago, summe sol, vobisque

bisque reliquis, cælites, quod ego præter omnem spem conspicor in his regionibus nobilissimos adolescentes, populares meos. Sed quisnam casus vos huc detulit? facite me quamprimum ut sciam. nam consilio, atque etjam re, & opera juvero. Tiberii, inquam, sævitia, & Sejani conjuratio, nuper admodum detecta, cujus conscientia ambo devincti tenemur, nos in fugam impulit, ac tempestas in hæc loca projecit. Quid audio? inquit ille: Sejanus conjuravit in Cæsarem? At me Sejanus olim intimum consiliis suis habuit, cupiditatum suarum administrum ducemque præfecit: ego sum ille Gallonius, qui, ut saltem fama novistis, comitate facetiisque eram omnibus carus; sed, urbis pertæsus, Olysipponem migrare statueram, ibique apud hospitem meum, quidquid reliquum erat, vitæ traducere. Itaque abhinc quinquennium, convasatis rebus carissimis, ac poëtarum, oratorum, historicorumque fere omnium voluminibus in unum coactis, navem conscendi, sed non mihi minus quam vobis Neptunus imposuit. nam placide primum dorso exceptum tulit: tum velut equus acer & indomitus cœpit concussare, ac me velle dejicere: denique omnes cælestes maritimosque terrores diu perpessum in hoc litus ejecit, non magis vobis, quam mihi ignotum. Sed, pro re nata, cecidit mihi sane res non infeliciter. non enim deferri quoquam poteram, ubi vellem esse libentius quam in hac insula. nam inveni hic homines voluptuarios multos, ac gutturi deditos, &, quod rem continet, præter nonnulla vocabula Græca, omnes Latine loquētes. Etenim, qua tempestate Scipionem Africanum, in Africam trajicientem, cum adversa tempestate conflictatum esse Cælius enarrat, ajunt, duas Romanorum militum triremes, vi ventorum à ceteris avulsas, fuisse in hoc litus abstractas. Sed milites in terram egressos, incolæ hujus insulæ benigne & humaniter exceperunt; ac primum hospitio, tum affinitate sibi junxerunt; postremo eorum sermone assuefacti, vernacula lingua paulatim omissa, Latine loqui cœperunt. At fuere præclara ingenia, quæ, cum se ad scribendum contulissent, egregia ac pręclara multa, tum soluta oratione, tum versibus ediderunt, ac tum maxime, cum meo adventu Virgilii,

Ciceronis, Saluſtii, Cæſaris & aliorum hujus notæ auctorum, ſcripta aſpiciendi poteſtas acceſſit; quos auctores hodie nemo eſt, quin habeat, quin legat, quin imitetur, præter paucos ineptos. Atque hæc una eſt ex inſulis Mauritaniæ, Eudemia nomine. Sed interea, dum regionis hujus mores & ſtatum vobis expono, reficite vos quæſo eſca & potione, quorum maxime indigetis. Statimque afferri juſſit farcimina aliquot, caſeum bubulum, veterem ac recentem, panes ſiligineos, fruſta carnis vitulinæ aſſæ, capones ſemeſos, præterea vina vetuſta ac generoſa. Ille vero, dum nos ſic ſtrati in herba diſcumbimus, Ita, inquit, ut occœpi dicere, poſtquam me Neptunus tres menſes integros in ventre habuit, demum in has regiones evomuit. Vbi dynaſtæ ad quindecim ſummo cum honore & auctoritate rem gerunt, qui capiunt ſibi ſortito quotannis Regem unum, qui ceteris præſit, & ſummam imperii teneat harum regionum. Dynaſtæ vero, quod dixi, ſi, antea quam in eum ordinem cooptentur, uxores habeant, cum illis in ſumma rerum omnium abundantia ætatem agunt; ſin autem illis careant, nihil eſt, quod de uxore ducenda amplius cogitent: immo, qui ſunt ejuſmodi, ſi in eo magiſtratu fœminæ notitiam habuiſſe comperiantur, in magnam apud omnes infamiam incurrunt. neque eſt, quod putent, ſua ſe poſſe flagitia occultare; ea enim, cum non humili obſcuroq; loco ſed edito & illuſtri admittãtur, omnium ſtatim oculis patent. Itaque, qui ejus honoris ſunt cupidi, ſummæ ſibi continentiæ legem indicunt, in omni victu cultuque fines modeſtiæ non tranſeunt, non rhedis auratis utuntur, non circumpedes ſericatos circa ſe habent; pecunias, quas ex ſuis ſacerdotiis redigunt, in uſus pauperum conferunt: conciones quotidie ad populum habent, quibus popularium vitia acriter inſectantur; ac præſertim iis perſuadere conantur, non una cum corporibus animos hominum interire, ſed eſſe æternos, ac ſupereſſe aliquid poſt mortem, quod ad ipſos pertineat; neque tricipitem apud Inferos Cerberum, Cocyti fremitum, tranſvectionem Acherontis, mento ſummam aquam attingentem ſiti enectum Tantalum, illudque, quod Siſyphus verſat, ſaxum, inexorabiles judices Minoëm

&

& Rhadamantum, fabulas aniles esse ac poëtarum pictorumque portenta, sed certa atque gravissima apud Inferos improbis constituta supplicia. Atque interdum accidit, ut, quos genus hoc vitæ præter modum delectaverit, post mortem in Deorum numerum referant, eisque templa, aras, flamines instituant, passimque ab omnibus ad eorum aras vota nuncupentur, victimæ cædantur, juramenta concipiantur. Sed quamvis hic apud eos honos longe maximus habeatur, adeo ut supra addi nihil possit; attamen si quis eum promerere studeat, huic homini pauci deos propitios, plerique iratos putant. nam præstare ajunt multo, unum diem in summis voluptatibus esse, quam multa sæcula in hominum memoria vigere. Longe alia est eorum ratio, qui sunt uxoribus præditi, iis enim, diis hominibusque omnibus approbantibus, licitum est, suo arbitratu vivere, voluptatibus indulgere, longe sumptibus progredi: iis permissum videtur, ut ex pecuniis, quas ex pinguibus sacerdotiis, quibus præditi sunt, colligunt, uxoribus in redimiculum præbeant, in collum, in crines; ut eisdem domos ac villas in urbium modum ædificent, Attalicis peristromatis ornent, supellectile aurea instituant; (nam argentea apud eos eviluit;) rhedis serico constratis, multoque interlitis auro, equos preciosissimos addant, sericis item atque auratis ephippiis ornatos. Denique persuasum est omnibus, in uxores eorum, quos vel meritum, vel ambitio, vel fortuna, vel casus in id dignitatis fastigium evexisset, omnem regalis opulentiæ cultum convenire, quo una cum maritis fruantur. Sed omnes simul Dynastæ, tum cœlibes, tum ii, quibus sunt uxores & liberi, de omnibus controversiis publicis una cum Rege constituunt, sacrificia procurant, sacerdotia inter se divisa habent; ingentes eorum reditus, quorum magnam partem in suos usus transferunt, ad victimas coëmendas, quibus Iovi, Minervæ, Apollini ac ceteris Diis sacrificent, atque ad ministros complures alendos, conferunt. Hic cum paululum interquievisset, Paulus Æmilius, redintegratis viribus, Dii, inquit, dent tibi quæ vis, nunquam esca una bene de me meruit magis, quam prandium, quod mihi dedisti. Sed illud nobis expedi; quisnam

nam eſt hortorum iſtorum dominus, qui, ut inſcriptio fronti affixa pollicetur, ſunt octavum mundi miraculum? Tum ille, Non hos modo, inquit, hortos, ſed etjam circumjectos hortis campos ille poſſidet, cui ego meas operas locavi. Hic eſt Dynaſta Pluſius, copiis, auctoritate, atque opibus ceterorum facile princeps. hic artis coquinariæ, cujus peritiſſimus habeor, in primis ſtudioſus, quia bonas cœnas & prandia concinno, univerſæ familiæ quaſi habenas mihi tradidit. itaque ſum promus, condus, atrienſis, prægustator, carpus. nam quæ apud vos ſervulorum ſunt munera, hic liberis atque nobilibus mandantur. ego cocis, ego cellariis impero; ego contumaces, ac minus frequentes, mercedis, vel diariorum parte aliqua multo, neque quiſquam mutire aut hiſcere audet. Tum, Tu igitur, inquit Æmilius, ſi tibi eſt ocium, & ſi dominus nevult, duc nos quantum poteſt in hortos iſtos; cupimus hercle eos aſpicere. Vt lubet, inquit ille, nam & ego ocioſus ſum; & domino nihil gratius poteſt accidere; quem in ſumma rerum omnium abundantia non ſolum luxuria, ſed etiam luxuriæ fama delectat. At ego de auro ſolicitus, quod ferebamus, Quæſo, inquam, Galloni, locum aliquem tutum inveni, ubi has ſarcinas deponamus, quas in humeris uſque à mari geſtavimus. Bono animo eſte, inquit ille; hoc ad me recipio. Sumtaſque in manus; Hui tam graves has, quæſo! ait; ac pueris, quos ſecum habebat, portandas tradidit. Facta igitur poteſtate introëundi, primum in æquam & quadratam agri planiciem venimus, multis arborum, florum, herbarumque partitionibus ornatam & diſtinctam; in cujus medio fons nitet ingenti magnitudine atque admirabili opere factus: totum opus ab inferiori parte quadrilaterum eſt, à ſuperiori rotundum. Ab inferiori per quatuor ſcalarum ordines ex æquo diſtinctos ad ſuperiorem aſcenditur. Vbi magna ex baſi, plurimis ſuccincta monſtris, inter leones quatuor totidemque gigantes è marmore ingens vis aquarum erumpit, & in ſubjectum defluit lacum; refunditurque per multa leonum capita, cancellis ibi circumductis affixa, in ſubjecta receptacula; & inde per occultos meatus ad alia leonum capita fertur, alteris cancellis paulo infra

per-

perductis hærentia, ut iterum refluat. At verò pars inferior ob quatuor eos aditus, unde in superiorem aditur, quatuor etiam in partes scissa atque distracta relinquitur, quarum unaquæque pelagi cujusdam imaginem refert, tam prope ad similitudinem veri, ut, infra breve ejusdem spacium, æquoris immensitatem agnoscere, in liquidi fontis nitore similem placido mari colorem aspicere videaris. Ad hæc, singulæ in singulis pelagis naves, ex malis & antennis tenuem ac similem velis humorem extendentes, cum tritonibus ternis buccina aquam fundentibus, tanto artificio confictæ versantur, ut naves non immobiles stare, sed totis pelagis ferri, nec tritones buccina aquam spargere, sed inflare sonum leniter dicas. Prætereo obeliscos, vasa ex topho, ceteraque ornamenta, quibus omnes undique cancelli extrema omnium lacuum ora cinguntur. Nam alia longe admirabilia parvis & usitatis in rebus oculos immorari non sinunt. Etenim in summa ejus soli planicie binæ ædes excitantur, forma, magnitudine, cultu geminæ atque simillimæ. non alias magis regalis opulentiæ cultus exornat; depictæ porticus clarissima toto orbe terrarum maria & villas exponunt; impositæ ædibus præstegæ circumjectos late campos & colles ostendunt; hic laquearia, hic cameræ extantibus, ac prominentibus figuris interlitis auro conspicuæ, hic picturæ summorum artificum manu elaboratæ, hic lecti pulcherrime strati, hic conopea, hic stragula vestis, hic denique quidquid Regum, usitatas delicias fastidientium, in aulis, luxuries invenit. Media inter ambas ædes tellus molliter in theatri formam attollitur; opinor, ut inde excitata tanti operis admiratione Natura tanquam artis ludos aspiciat. Per id theatrum, duplici scalarum ordine, multisque præterea aliis transversis, sed in unum exitum coëuntibus viis, in aream lapideis in aditu cancellis instructam adscenditur. Hic oculi, qui rebus à se antea visis nihil fieri posse perfectius existimaverant, nova atque improvisa re percussi, judicium suum contemnere incipiunt. Positæ in medio platani, non magis ad umbram hospitalem consociandam, quam ad conciliandam sua sibi proceritate ingentem admirationem, ramos extendunt.

Hinc & illinc ambulacra ſuis extenta porticibus, ex duplici columnarum ſerie, non ita latum, ſed gratum villarum amœnitatem perſequentibus diverſorium præbent. Sed, magno veſcendi ſtudio incenſis nobis, ingens pulſantis ſtrepitus ab oſtio veniens excipitur. miſſus à Gallonio, qui inſpiceret, quiſnam homo ita fores illas impeteret, refert, veniſſe à Dynaſta Bibulo nuncium, qui eum opere maximo evocaret. Intromiſſus in hæc verba loquitur; Summus Bacchi præſes ac Dynaſta Bibulus, herus meus, jubet, niſi ſuam gratiam negligis, jam ut ad ſeſe venias; cupere enim, ait, coram tecum de rebus graviſſimis agere. Tum Gallonius, ſane commotus, & majorem aliquam eſſe cauſam ejus feſtinationis ſuſpicatus, Nuncia, inquit, domino tuo, jam ibi me adfuturum; & in nos intuens, Nihil, ait, à me faciendum eſt prius, quam ut hujus imperiis obediam; hic eſt enim magnus ille Bibulus, qui ampliſſimo munere præditus, magnam apud omnes retinet auctoritatem: vos me audacter ſequimini: licebit enim, hac præſertim occaſione oblata, Vrbis formoſiſſimæ ſpeciem, atque horum hominũ vultus ac mores agnoſcere: ſed ne peregrinus habitus, omnium in ſe oculos attrahat, neque cogat quoſcunque adire, appellare, quid velitis, quid veneritis, qui ſitis, cujatis, unde ſitis; veſtes quas habetis, deponite, & induite alias, quas vobis præbebo, hujus regionis proprias. Cui ego, Amice, inquam, ſuades; age ut lubet: duc quo vis; haud ſane uſquam à pedibus abſcedemus tuis. Mutata igitur veſte, horam circiter diei undecimam, urbem magnificentiſſimam intramus: forum ampliſſimum & elegantiſſimum, baſilicis, templis, porticibus ſeptum adimus. In cujus ſummo clepſydra aſpiciebatur, cum hoc epigrammate:

Vt petit ima gravis clepſydra conditus humor,
Sic cadit æthereo miſſus ab axe dies.
Heu properata nimis maturæ fata ſenectæ,
Si fugiunt anni more cadentis aquæ.
Si vix orta ætas eſt, cum ſua funera ſentit,
Quod datur exiguum tempus, abibit iners?
Sola manet virtus, rapidis immobilis annis;
Cætera nativo pondere preſſa ruunt.

Et

Et quia anni fervidissimum tempus erat, credo aucupandi frigoris causa, multi viri nobiles, multique etiam, qui vespere vivunt suo, celeberrimas urbis vias, largifluos fontes, latissimas plateas, equis rhedisque vecti reptabant. Sed oculos in primis nostros, quorundam ad se splendor attraxit, qui, rhedis multo fulgentibus auro ostroque delati, quacunque pergerent, turbare ac permiscere omnia videbantur: nam eorum circumpedes turbam submovere; equos, asinos, carros, obviam venientes expellere; præterea cunctos tanquam Diis de Cælo delapsis illis assurgere, decedere, capita aperire, in genua procumbere, equos, ac rhedas sistere. Quod cum nos Gallonius eo splendore quasi perstrictos mirari adspiceret, Nolite mirari, inquit: hi sunt Dynastæ illi, quos dixi: videtisne ut iis honor habeatur, tanquam præsentibus Diis? Vah! inquam: qui cultus! quæ luxuries! at Romæ nemo senator, nemo Consul, ac ne Tiberius quidem, rerum dominus, hujus opulentiæ luxu decoratur: nam ille in omni cultu vix civilem modum excedit. Hoc interim spacio ad ædes magni illius viri venimus, vestibulum & ambulacrum ante ædes luculentum aspicimus, intramus latius, ac primo pedem intro in peristylium ferimus. In cujus summo fons erat, eo dynasta dignus: Bacchi simulacrum, factum e marmore, cado insidens, mejere videbatur in lacum sibi subjectum, eratque magna in basi grandibus litteris incisum hoc epigramma:

Impositum lacui magno qui cernis Iacchum
Mejere, sed liquido rore replere lacum,
Digna velit Baccho largiri munera, posce,
Pro gelidaque unda fervida musta dare.
Tum pateat vesica illi, nec calculus obsit,
Semper ut expulsa vina bibantur aqua.

Gallonius rogat unum ex familiaribus, ut domino renunciet, se ejus vocatu accitum adesse: proinde imperet si quid velit. Respondet ille, omnes tunc ad eum aditus interclusos esse: nam psittacis, lusciniis, felibus, simiis, canibus, quos semper circa se habet, quosque plus oculis suis diligit, cœnam dabat, ac suis ipse manibus cibum præbebat. Cui Gallonius, Fac, inquit, sciat, me adesse,

cetera nihil moror. Interea dum ille it reditque, complura parietibus epitaphia, hinc & illinc affixa, conſpicio. rogo quid ſibi velint. reſpondet mihi unus, Hæc ſunt epitaphia felium & canum defunctorum, quos dominus in deliciis habuit, quoſque ipſe multis cum lacrimis ſupremo mandavit officio. At ego in pugillaribus, quos ſemper mecum fero, cœpi ea deſcribere.

Epitaphium Felis, nomine Nicoloſæ.

Si quæris, Nicoloſa fui, non improba felis;
Cui tulit immeritam ſumpta lacerta necem.
Molliter erubui moriens incumbere lecto,
Languida vel duro fundere membra ſolo.
Pugnavique diu, morti non cedere nixa.
Sed fruſtra; heu tandem perfida plus potuit.
Sic mihi perque domos, perque ardua tecta vagari
Semper, & æternum vivere poſſe datur.
At vos depictas ſquallentia terga lacertas,
Lurida in apricis inſequar umbra locis.

Epitaphium Ruſpoli Catelli.

Ergo tibi inviſæ [illegible]erunt ſtamina Parcæ,
Ruſpole, am[illegible] domini deliciæque tui.
Non ita ſydereos violavit Leſbia ocellos,
Paſſeris extincti triſtia fata gemens,
Vt potuit lacrimis temerare cadentibus ora,
Cum daret ille tuas munera ad inferias.
Sed valeant luctus. nam te non cæca tulerunt
Tartara, ſed cæli lucida ſigna tenent,
Vt, canis arenti depulſo ſidere, poſthac
Mitius æſtates ſub tua jura fluant.

Cœperam aliud alterius felis epitaphium deſcribere, cum Gallonius accerſitur. accurrimus, ſcalas aſcendimus, introducimur in eam diætam, ubi vir ille princeps epulabatur, in lecto eburneos pedes habente, ac purpura auroque conſtrato, obſeſſus undique felium & catellorum turba, quorum alius inſiſtebat illi in humero, alius in collo, alius cibum petebat, alius uncipedibus bolum

è mani-

è manibus eripiebat; alius latrabat, alius placide accubans domini misericordias expectabat. At ille, ubi nos venisse animadvertit, Gallonium intuens, Scin, inquit, quamobrem huc te accersiri jussi? Non equidem, inquit ille; sed, imperiis tuis obsequens, huc me conjeci, & expecto quid velis. Ego dicam tibi, inquit ille. Vidi hodie dum ociosus per urbem vector, in fenestra privatæ domus ad Vestæ, ludere cercopithecos duos, quibus nihil dixerim me vidisse in vita venustius: fac mihi eos dono, precario, vel, si fieri aliter non potest, precio abducas: neque operi, neque sumptui parcas: nam ardeo cupiditate incredibili eos habendi. Scio, quos dicas, inquit Gallonius: mox imperium tuum exequar: &, quamquam eorum dominus ita sit versutus & callidus, ut dolis capi difficulter possit, tamen, quo tibi animum expleam, fingam, inveniam, comminiscar rationem, qua os illi pulchre sit sublitum. Magnifice, inquit Bibulus, polliceris: at pol benefacta me hortantur tua, ut remunerer te grato aliquo munere: sed multa non possum; & pauca pudet dare. Credo, ait Gallonius; ita vestra est benignitas. Abi igitur, inquit ille; ac rem strenuus age. Estne aliquid aliud, replicavit Gallonius, quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius? Recte, ait. Itaque discedimus, ad ostium devenimus; atque ibi hominem squalidum, ægrum, inter manus delatum, in gestatoria sella collocari videmus; quem ubi Gallonius aspexit, continuo, Quid istuc, inquit, rei est? ô mi Agrostes? (id illi erat nomen,) unde hic pallor in vultu? unde hæc in membris infirmitas? Quoniam miser febri quotidiana laboro; & male metuo, nisi quis me Deus respiciat, ut ex hoc morbo convalescam, vel saltem ne multos menses eodem implicatus detinear. Æsculapium & salutem, inquit Gallonius, ne quid sit hujus, oro: bono animo es; mox febris abscedet, ita supercilium salit. Sed unde tãtus hic repente morbus invasit? & quo nunc æger defereris? nonne, quæ tibi sunt opus, defert hic princeps, qui tanta caritate feras etiam bestias amplectitur? Respondet ille; Causam morbi sustinet perpetuus scribendi, vigilandi, & hac illac concursandi labor, dum huic inservio: at nunc, quia per ægritudinem nulli eidem esse usui possum,

in nosocomium proximo Æsculapii fano conjunctum deferor : hem, quo redactus sum miser ! Dum sic queritur, ecce tibi in tempore advenit adolescens , Fossio nomine, collecto pallio, sudans, anhelus; &, Facinus indignum ! exclamat: itane vir longe doctissimus , scriptor egregius, poëta summus, optimis atque sanctissimis moribus præditus , in nosocomio publico tanquam unus aliquis ex popello morietur ? istud igitur immortalitate dignum ingenium, ista virtus , ista probitas, iis auxiliis indigebit, quibus inquinatissimi perditissimique homines sæpe abundant? ergo te viri illi principes quos longa consuetudine usuque devinctos habes , ita fœde ac turpiter deserunt ? Sed, ut illi tantum in se dedecus attrahant, ego tamen meum erga virum optimum studium, operam, officium desiderari non patiar. Ite,agite,deferte eum in domum meam ; ego tecto recipiam , ego in meo cubiculo, atque adeo in meo lectulo collocabo : ego exquisitos tota Vrbe medicos cogam , neque quidquam patiar illi deesse , quod ad levandam ægritudinem prosit. His actis, pedes prosecutus est eum , gestatores identidem admonens, ut pedetentim irent , ac sedato nisu, ne succussu morbus eidem efficeretur amplior. Nos vero, quia id diei tempus erat , ad ædes Gallonii cum ipso contendimus. nam paulo ante, ut ad se in hospitium diverteremus , impetraverat. Iamque aberamus ab his propius, cum ab Hermagora quodam , nuper inter dynastas adlecto , litteræ eidem redduntur in hæc verba, Hermagoras Gallonio salutem. Amplissimus dignitatis gradus, quem nuper ascendi, postulat, ut domum & familiam ita uxori meæ mihique amplam & ornatam instituam, uti me dignum est ; & persona quam gero. Verum, quia absum ab Vrbe , cogor hanc illi provinciam demandare , cui maximam rerum mearum fidem habeam , cuique meam in primis existimationem caram fore arbitrer. Quamobrem peto à te , pro nostra amicitia, ut negocium suscipias , atque ædes mihi laxas magnificasque conducas , ac præsertim eum familiarium numerum cogas, qui meæ dignitati conveniat.Quod autem ad hominum genus attinet , ut meam sententiam noris : cupio homines formosos , elegantes, ac bene vestitos :

ſtitos: neque refert, ſi ſint impuri & inhoneſti: dummodo ſint apti. atque etiam ea te cura libero, ut ex doctis ac litteratis viris unum aut alterum ſeligas, qui ſit mihi ab epiſtolis & à cognitionibus. nam quidquid huic generi hominum datur, diſperit totum. hodie enim quivis vel amanuenſis vel leguleius recte ſatisfacere his muneribus poteſt. Illud in primis memineris, ut cocum mihi ſolum præter alios quæras, quique mortuis etiam coquere, quod placeat, poſſit. Atque, in eo omnes induſtriæ diligentiæque tuæ nervos contendas, velim. Da operam ut valeas. His litteris perlectis, Gallonius me intuens, Qualis tibi, inquit, videtur hæc indoles? Egregia ſane, inquio, atque præclara: neque boni quidquam eſt, quod ab ea ſperari non poſſit. Sed dum magni illius viri ſapientiam admiramur, qui in uno coco eodemque optimo tantum ponat eſſe ornamenti univerſæ familiæ: incautum me, neque animadvertentem, pene rheda oppreſsit. ſed neſcio quis brachio prehenſum in alteram partem abſtraxit, periculoque ſurripuit. Sed ubi me ex timore collegi, quæro, quiſnam eſſet ille tam potens, qui rheda obvios obtereret? Tum Gallonius arridens, Erras, inquit: non marem ſed fœminam ea rheda circumvehit: hæc eſt Paſicompſa, Dynaſtæ uxor, nobilis mulier ac nota: genere atque forma, præterea libidine atque luxuria, ſimilis Saluſtianæ Semproniæ. nam à teneris, ut ajunt, unguiculis, laſcivos amores ac vetitos, honeſtis permiſſiſque præpoſuit. itaque eximium ſemper aliquem habuit, cui clam virum ſe tota permitteret. nunc autem, viro orbata, genio multo magis indulget. nam quantum illi ætas detrahit formæ, tantundem libidinis addit. & quia ob formam immutatam, non facile in amore invenit qui cum ipſa faciant mutuum, ſuis copiis, quæ ſunt amplæ, aliquot filiosfamilias patri parco ac tenaci devinctos habet. atque in præſentia neſcio cujus adoleſcentis inopiam ſuſtentat, cujus, medium ad Ianum, omnis fracta res eſt. Eſt tamen non nemo, qui calcitret, reſpuat, neque putet ejus dona eſſe tanti: ut de quodam adoleſcente narratur, cui non ceſſat miſſitare litteras, miſere ſcriptas. quibus ita demum ille reſcripſit: (nam apud me habeo earum literarum exemplum.)

Cleo-

Cleobulus Paſicompſæ, plorare, & malc rem gerere.

Improba maturo cum ſis jam proxima fato,
Flebilibuſque rogis;
Quid totis rabido correpta furore medullis
Me violenta petis?
Qualis in herboſis furiata libidine campis
Torva juvenca bovem,
Incaſſum precibus facilem, vel flectere durum
Imperiis properas.
Nam longo turpem ſæclo non faſtus amantum
Blanditiæque decent:
Vſque colum, & lanæ imbellis, nigræque culinæ
Munera verſat anus:
Illic fabellas, inter felemque canemque,
Ingenioſa refert.
Nixibus at crebris effœta, remitte puellis
Mollibus & pueris
Et citharas dulces, choreaſque, fideſque canoras:
Tu tibi ſume malum.

Perlectis his literis, uſque adeo elota eſt ira, ut ſine ulla dubitatione inſanire omnibus ac furere videretur, minitari abſenti Cleobulo, vociferari, lacrimas non tenere. ſed ille nihilo magis ejus lacrimis vel minis movetur, quam ſi ſit codex aut ſilex. His dictis, Gallonii ædes ingredimur, ibique omnibus in rebus liberaliter accepti, divertimus, jucundi ſermonis anſam, Paſicompſæ ira luxuriaque præbente. Nam P. Æmilius, Exprobratio, inquit, ſenectutis mulieri bilem in naſum impellit. muliere impura nihil contumacius. quæ ſemel pudicitiam & pudorem ab ſe dimiſit, nunquam, pol, ne quadrigis quidem albis, adipiſcitur poſtea. quo Ceres & Bacchus immigrarunt, inde pudicitia, dimiſſis manibus, evolat. mulier, libidine incenſa, mare eſt, quod nullis neque fluminibus, neque rivis expletur. æſtus luxuriæ, ut ignis, non ſuppeditandis, ſed ſubtrahendis libidinis alimentis extinguitur. mulierum inſatiabilitas, poteſt quidem admiſſarios plures ad languorem dare, non tamen modum

modum ſibi ſtatuere. ſi, genere ac divitiis ferox, libido deſæviat, nullis neque juris, neque legum, neque exiſtimationis repagulis inhibeatur; omnia ſibi licere, nihil eſſe nefas exiſtimat. ſermones, objurgationes, & monita ſunt lapides impudicæ, quæ illi cerebrum excutiant, non bonam mentem injiciant. ut miſer eſt homo, qui libidini ſervit! qui in catenis ſunt, ſi poſſint, vincula rumpunt; qui amori obtemperant, graviores ſemper ipſi ſibi compedes indunt. pudicitiæ cum deformitate corporis ſæpe convenit; cum forma fœdus raro contingit. quæ pudicitiam adhuc intra honeſtatis ſepta concludit, caveat, ne evolet: nam captivæ avis eſt ſimilis, quæ, patentem caveam nacta, effugit, nec poſtea prehenditur. unicum mulieris ornamentum eſt caſtitas, quæ ſi amittitur, nihil in ea reſidet quod precium aliquod habeat. quiſquis ex muliere, caſtitatis decore everſa, boni aliquid colligere ſtudet, nudo veſtimenta detrahere poſtulat. Hæc, pleraque his ſimilia, locutus P. Æmilius, lecto ſeſe commiſit.

LIBER II.



T longa maris tempeſtate jactatos, & itinere ſuperioris diei defatigatos, tam arctus ſomnus excepit, ut non antea diſſolverit, quam orta lux omnia compleret. ſed tandem expergefactos, & cubile egreſſos, Gallonius invitat in hortos cujuſdam Dynaſtæ, qui, ut ille narrabat, ex ſummis vitæ ac fortunæ ſordibus ad ingẽtes divitias perveniſſet. Nam accepi, inquit, detineri ibi ægrum adoleſcentem, mihi cariſſimum; cupioque, niſi aliter vobis videatur, eum inviſere. Sed non pigebit vos illuc veniſſe. nulli enim ſunt horti in his regionibus, quos magis viſẽdos dicatis. Cumq; nos non nolle dixiſſemus, ſecum una perreximus. Atque inter eundum, quæſivimus de Gallonio, cur, ſi omnes Mauri atri eſſent, ibi fere omnes albi naſcerẽtur? Qui reſpondit, primum, eam inſulam longo intervallo à ceteris Mauris eſſe disjunctam. tum, mulieres eas, poſtquam ſe cum Romanis

Romanis miſcuiſſent, patribus ſimiles liberos genuiſſe. Inter hæc, atque alia, duorum millium paſſuum viam emenſi, ad hortos pervenimus: pulſamus oſtium: aperitur: intramus: atque, ubi ea pulchritudo recens ad oculos meos pervenit, non horti neſcio qui, ſed cœlum ipſum, atque adeo ipſa Iovis regia, mihi patefieri viſa eſt. Nam foribus apertis, operis univerſi forma tota ſimul ſe obtulit, & in conſpectu propoſuit. quæ forma tantam habet pulchritudinem, ut nulla ſpecies ne excogitari quidem poſſit ornatior. etenim æquata agri planicies, quæ adeuntibus prima ſe objicit, ambulacris ſepta compluribus, præclaris diſtincta fontibus, ac variis amœna floribus, præfert in ſummo theatrum, multis ſcalarum ordinibus, nativo è marmore inſtructum atque compoſitum: & ex ſingulis ſcalis plures tum ebullientes, tum effluentes aquæ, velut aſpicientium turba ad fontem in media cavea poſitum ſpectare, & placido murmure tanquam fauſtis acclamationibus operi plaudere videntur. Hinc & illinc à theatro lapideis ſcalis in novum artis miraculum ſcanditur. Æqua & quadrata planicies complures diſpoſitas in quincuncem arbores ſuſtinet, ſepitque locum maceries regia lauro contecta. platani incredibili proceritate principem in medio locum obtinent: infra earum faſtigium humiliores multæ ab utraque parte arbores ſubſunt, iis quidem proceritate diſſimiles, ſed dignitate ac præſtantia ſimillimæ, ſiquidem regiæ lauri ſunt omnes prope ad miraculum pulchræ: in medio, ſub procerrimis illis plantanis, menſa marmorea, pedum fere ſexaginta in longitudinem, & quindecim in latitudinem patens, extenditur, quam à ſummo ad extremum, relicto hinc & illinc commodo ad cœnandum ſpacio, plures leniter erumpentes atque in ſe redeuntes aquæ interſecant, gratum convivis liquorem & frigus præbentes. nam voluptatem poſitus in conſpectu fons affert, ipſi etiam arti admirabilis. etenim Triton factus è lapide ſedet eques in cancro, admotoque ad os cornu inflare ſonum videtur: diceres eum audire, tantam artificii ſubtilitas fidem mendacio facit, niſi hunc ab auribus errorem quinque late manantes ex cornu rivi depellerent. tum inter cancri brachia ſuffe-

ctura flumini vel magno aquæ vis pellitur in concham, refunditurque ab eadem per sulcos ipsi hærentes in lacum sibi subjectum, rejicientem & ipsum per multo plures sulcos aquam in alterum infra se positum longe majorem lacum; qui saturatus aquis, superioris exemplo, quod superest, totum regerit ante pedes, terra excipiendum. postremo hinc & illinc ab hoc lacu duo fluminum simulacra permagna ad eum implendum tanquam auxiliares aquas ex urnis emittunt, nec sine præmio filicis, musci, capilli Veneris, aliæque herbescentis viriditatis, quam circa ea subjectus elicit humor. Iam vero locus egregius, & in primis amœnus, qui non prætereuntis velocitatem, sed contemplantis tarditatem & moram desiderat, poscere videbatur, ut esset, ubi moraturus hospes consistere ac deambulare tutus à solis injuria posset. Itaque ab utroque fontis latere columnæ excitatæ complures, porticus duas effingunt, quas, tecti loco, plures vitium propagines ita undique ambientibus ramis atque invicem complicatis integunt, ut vix in densam umbram penetrare solis radius possit. Nunquam oculi hac specie & pulchritudine capti satiarentur, nusquam aliquid melius ac perfectius quærerent, nisi duplex scalarum ordo, post fontem, quem dixi, in trianguli formam extructus, diu delectatos, neque tamen satiatos, eo illos vocaret, ubi extremos artis conatus aspicerent. Primum cancelli scalis præfixi, præclari ad aspectum, & certis ex locis aquas ebullientes, fontem, quem præ se habent, ornant, atque augent. Tum locus, in quem ascenditur, rebus magnis & admirabilibus plenus. Hic ars, sibi ipsi æmula, à se ipsa vincitur; hic Natura artis, æmulæ suæ, conatibus favet. nam aquas, quibus illa res admirabiles præstat, majore vi copiaque suppeditat; hic nemora non temere nata, sed ordine posita, latiore campo excurrunt; hic avium caveæ, columnis exædificatæ nemora ipsa ambiunt & continent. In aditu vestibuloque speciosissimi hujus loci; declivi quodam solo, catena jacet è lapide, per quam aqua ad cancrum, de quo antea diximus, influit; tanto artificio, ut, contortæ, convolutæque in plures circulos aquæ, annulos assimulare; tanto strepitu, ut propter vim, impetumq; quo

defluunt, catenarum similem sonitum edere videantur: hæc autem catena, longiore tractu perducta, demum ita cancri brachiis adnectitur, ut eum colligare constringereque, ne commovere se possit, existimes. Ingentes paulo supra eam catenam fornices è lignea materia facti, prosequentibus eos ederis ambitiosissimis, attolluntur, in regiæ molis similitudinem; qui fornices inter ædiculas quatuor fastigiatas amplam & augustam sine fastigio ædem includunt; cujus medium fons tenet, sepulcralibus monumentis non longe dissimilis, ab imo latus atque rotundus; angustus & acuminatus in summo, acumen efficiente aqua, egrediente sursum è patera. Vt totum hoc opus ad regum maximorum delicias, non autem ad ejus libidines factum videatur, qui ceteris specimen esse jubetur. His igitur diligenter à nobis perlustratis, villam ingredimur, amplam illam quidem & rebus omnibus instructam, sed quæ nihil ad hortos. Vbi in amœno, lucidoque conclavi, serico sub conopeo, jacebat adolescens, magis corruptus deliciis, quam fatigatus aliquo morbo. Cui Gallonius, Quid hoc, inquit, morbi est? Febris, respondet. Caruistine illa heri, Gallonius repetit, vel nudius tertius? cœnavistine? Cum hæc maxime loqueretur, mulier adolescens, passis crinibus, cubiculum intrat, capite parietes verberat; clamat, Me miseram, quid video? cur ægritudinem istam, quæ te macerat, in me transferre non queo? quid me fiat, si quid humanitus tibi contingat? Ille sane commotus, Ne te crucia, inquit, ne mihi ad morbum hoc etiam. aspectus tuus omnem vim morbi diripiet. Et, quo flendi ac lamentandi pausam faceret, opiparum illi prandium parari, ac dona plurima congeri jussit. Nos, mulieris pietatem admirati, magnum atque spectatum egregii cujusdam amoris exemplum inspexisse testamur; ac de eo, qui cubiculi fores tuebatur, exquirimus, quid ea ad illum ægrum mulier attineat? num soror, num uxor sit, num affinis, vel cognata? Qui, Nihil horum ea est, ait; sed meritrix est in primis subdola, blanda, fraudulenta, avara, Nanna nomine; quacum ille menses abhinc quatuor stupri consuetudinem habet, atque adeo apud hoc cœnum amoris clavo fixus inhæret,

ut nullis

ut nullis amicorum neque admonitionibus, neque precibus extrahi queat; & nisi ad rationis terminos, unde longius abiit, se propere redigat, quantum intelligo, omnis ejus res, brevi, meretriciam in domum exulatum abibit. Et quo melius hujus meritricis ingenium moresque noscatis, accipite doctum ejus dolum, in quo superioribus mensibus mercator quidam adhæsit. Hic amabat eam perdite; ac, ne cum quoquam alio esset, magna mercede in concubinatu sibi conjunxerat: sed quantum illi misero ardoris faciebat amor, tantum etiam algoris zelotypia conflabat; Meritrix cata, quæ illum hamum vorasse cognosceret, ut omnes faciunt, quæ se amari intelligunt, nihil tam laborabat, quam ut miserum eum haberet, & in primis ut ad sese cum anima, ejus habentiam averteret. Atque ad eam rem usa est hoc adolescente, cui servio; qui amore ipsius captus aliquot jam dies ejus ædes obambulabat, quemque pejus angue mercator horrebat. nam est in primis scitulus, mundulus, atque venustulus. Cœpit igitur illa adolescentis formam laudare, cincinnos efferre; ille miser uri, & cultro, quem sub sago contexerat, minitari, si adolescenti obnoxia fieret. Vbi meritrix hominem umbraticum, magis timidam inter viros mulierculam, quam fortem inter mulieres virum, cultrum habere animadvertit, hæreditatem sibi obvenisse existimavit, ac, Crœsum, inquit, divitiis supero, si eum in me cultrum ille semel educat. Itaque mittit adolescenti qui dicat, ut proxima concubia nocte domum ad se veniat, ac sine ullo metu januam feriat. Vesper adest: mercator, re bene gesta, domum meritricis venit, cœnat, decumbit, cum ea litigat; queritur, quod adolescentem sese plus diligat: illa contra negare, sed frigide; interdum suspiciones injicere: ille stomachari, atque ira vehementius efferri: cum ecce tibi commodum adolescens ad januam adest; pulsat: ille, suspicione offensus & insidias metuens, è lecto se ejicit, ad fenestram advolat, &, Quis, inquit, odiosus, hoc noctis, foribus istis insultat? Ego sum, inquit adolescens. aperi actutum, mercator, cognito adolescente, tum quidem omnem violentiam è pectore expromit; atque, Hinc abire

ni properas, ait, ferere. Et magis quo se iratum ostenderet, quam damnum vel malum daturus, districto cultro in Nannam incurrit. At illa, tanquam prædivinans quid futurum esset, dum ille in fenestra foribus injuriam factam queritur, furtim è lecto desiluerat, ac rubrica in eum usum quæsita dexteram impleverat. Venit ergo ille amenti similis, clamans, Itane, pessima? ante meos oculos amatorculum mihi tuum adducis? Vnaque opera femur illi dexterum & brachium lato cultro percussit. Illico illa dolis insistens, admota ad os manu, rubrica illud infecit, & simul, Obsecro, populares vicini, vestram fidem; subvenite, ferte inopi auxilium; malus hic mihi faciem feriit. quid agam? quo me vertam? audebone posthac ita deformis cuiquam in conspectum prodire? non faciam; lethum mihi consciscam. Hic etiam ab ancilla clamor extollitur, accurrunt vicini, januam effringunt, quærunt quid sit? Clamor utrinque, undique concursus. Ille miser, qui sibi esset conscius, nullum à se vulnus inflictum mulieri, primo mirari, quod sanguis efflueret. tum, sibi metuens, fuga salutem quærere, ac noctis beneficio occultatus, in ædes cujusdam Dynastæ tanquam in aram confugere. Vbi postea, in ocio rem agitanti, non satis liquebat, quomodo illud à se vulnus exisset. Et secum, Ego, quod scio, latus illi & brachium, non etiam faciem verberavi, &, quod rem continet, non cæsim, sed gladii planicie. unde ergo vulnus habet? At simulat. at hisce ego oculis vidi. sit verisimile. nam non semper it manus quo ea dirigitur, quamvis sit ad feriendum certa: tum ego iratus eram: ira cæca est, sensus adimit, mentem eripit. Quid igitur fiet? Dum in hac cogitatione curaque versatur, & simul altercantibus libidinibus tremit ossa pavore, statuit, per amicos interpretes, eam sibi placare, hoc est, argento mollire, & pecuniæ non parcere. Itaque allegat ad eam idoneos cum mandatis homines: qui quidem mulierem adeunt: at mala, quo doli procederent, unguentis sibi faciem inunxerat, fasciisque obligaverat. Illi pedetentim primum mulierem aggrediuntur, rerum vicissitudines memorant: laudant eos, qui simultates, occasione oblata, dimittunt. Non est passa mulier eos per-

gere

gere atque insequi longius; sed continuo exclamat, Abite, abite; nihil mihi de istis factis; jam faxo, apud omnes magistratus nomen ejus erit; jam illum perdam, si vivam, qui me in perpetuum infamem stigmate in os imposito fecit. ego illi ut parcam? ut placeo, mori me malim. Ah, ne sævi tantopere, inquiunt illi. res est ejusmodi, in qua casus dominatus sit magis, quam ratio. Ergo, excepit mulier, hoc prætor dijudicabit, cui dilucide expedivisse me arbitror. Vbi illi hanc viam obseptam vident, alia aggrediuntur, Vide, inquiunt; mercator liberalis est, ac fugitans litium: quid tibi vis dari in manum, ut totam hanc causam postulatumque dimittas? Illa modo negare, rem tantam decidi pecunia posse; modo cum illi magis instarent, insanire, & intolerabilia petere. denique, ne longum faciam, ægre ab ea impetratum est, ut minis quinquaginta sibi satisfieri pateretur. quæ dissoluta sunt statim. Sed neque illa decisione contenta fuit; voluit etiam magis hominem assecare. itaque mittit ad eum, qui dicat, in ejus manu esse, eam sibi ab ore infamiam, quam ipse imposuisset, eripere. medicum esse quendam Campanum genere, qui omnium vulnerum notas medicamentis abstergeret; sed opus esse argento, quinque præsentibus minis. quod si fecisset, se in amore & gratia cum ipso futurum. Hic erat circulator quidam, nimis graphicus sycophanta, ad artes nugatorias circulatorum primus. Ille miser, qui Nannæ desiderium ferre non posset, ne passus est quidem se exorari; sed sine ulla mora illud dinumeravit argentum. quod cum ea nugator partitus est statim. Verum, quia mercator curationi intererat, hæc vafro illi ad decipiendum ratio erat. fidem ex testudine detractam meretrici ubi vulnus assimulabatur, inusserat; quæ alte ibidem inhærendo sulcum cicatrici non absimilem fecerat. hunc sulcum, præsente mercatore, ungebat, obligabatque diligentissime; clam eo fide illa iterum obstringebat; sed quotidie remissius; quo fiebat ut paulatim deleri videretur. Quid opus est verbis? vix dies octo intercesserant, cum plane omnis evanuit. Iam emanarat in vulgus, insigne in os Nannæ fuisse vulnus inflictum, cum ecce tibi de admirabili novi istius medici curatione per-

crebuit. Itaque tanti ad eum cicatrices habentium concursus fiebant, ut resisti non posset. Non defuit occasioni nugator, sed properavit eripere. nam, ab omnibus illis arrhabonis nomine pecuniis acceptis, se præda refersit, & die quadam ante lucem, non conclamatis vasis, castra commovit.

His peroratis, cœperat cubicularius ille alium ejus meritricis dolum exponere. sed dicere aggressum interpellavit Gallonius. qui, exiens ab adolescente, Heus vos, inquit; properandum est mihi in ædes Plusii, cui meas operas locavi. nam pene abiit hora, qua ibi me adesse oportebat, ut officium illud cui sum conductus exequerer. tum invitavit me ejus tonsor ad prandium; rogavitque, ut quos mihi commodum esset vocarem; nam duabus umbris fore locum ajebat. itaque vos mecum adducam. delectabit enim, facetos horum urbanorum mores, præsertim in conviviis agitandis, agnoscere. Tui sumus, inquio; duc quo lubet. Ne multa; In ædes magni illius viri venimus. Sciscitatur Gallonius, quid rerum agat dominus, num jam evigilaverit, num surrexerit. Respondet unus; Iam diu ille surrexit. nam, simul ac, inquit, cælum illuxit, è lecto prosiluit: ac, tonsore accersiri jusso, duas apud illum horas transmisit; atque, rasitando, tergendo, pingendo, ita miserum illum defatigavit, ut eum ad languorem, vel potius ad interitum, dederit: tonsore dimisso, in secretiore conclavi, se cum sarcinatore conclusit; sumptoque in manus circino, suo more experiebatur, num singula inter se puncta vestibus acu præfixa ex æquo distarent, num thorax vel sagus corpori eleganter hæreret; atque in hoc studio alteræ duæ horæ fuere consumptæ: nunc verò calcearium exercet; miserum habet; clamat, corium, quo calcei constant, non esse molle atque flexibile, sed durum ac rigidum; præterea calceos ipsos non esse habiles neque aptos ad pedes; irascitur, vociferatur; se Diis suis iratis natum esse queritur, cui nihil ex sententia contingat. sed mox, ut spero, calceolarius etiam ex hoc laqueo jugulum eximet. nam Flamines vocari, tus & merum parari jussit, quibus rem divinam Iovi optimo max. faciant, qua peracta, ut creditur, prandium inibit. Non malum

eſt, inquit Gallonius, ut in procœtonem me conferam, ibique ejus imperium expectem. Nos igitur, à Gallonio introducti, unum ejus angulum petimus, & collo obſtipo, quæ dicebantur, quæque ibi fiebant, excipimus. Ac primum orta eſt inter eos quæſtio, quænam pullis gallinaceis æſtate, quæ hyeme curatio, quod condimentum aptius eſſet. nec minima erat inter eos contentio. nam aliud alii placebat. Tum ille, qui hos ſermones laceſſierat, contradicentibus ceteris,ficedulam turdo, & coturnicem phaſiano anteponebat; omneſque certatim illudebant unum ex eo numero, qui nullum in his rebus ſenſum habere videbatur;ac ſordidum eum & incultis moribus appellabant; imo ne hominum quidem numero dignum eſſe ajebant. Ab hoc ſermone ad carpendam lacerandamque mulierum famam digrediuntur: atque, alias parum honeſte pudicitiam habere, criminari; alias conſciis maritis proſtituere formam ac vendere; alias, forma egregia filias, his atque illis, non parva mercede, ſubjicere; multaque his addere, ac nomen etiam uniuſcujuſque mulieris dicere, quæ quia nullam earum notitiam habebam, oblitus ſum ſtatim. Erat hominum cultus elegantiſſimus, ſed parum virilis; neque fere ibi quiſquam erat, qui novas nuptas elegantia munditiiſque non vinceret. Illud vero ridiculum, quod, cum duo inter ſe de amicula rixari cœpiſſent, eorum unus alterum, contumeliæ ſcilicet cauſa, hircum olidum, impurum, perfidioſum, obſcœnum appellavit; ille, quo ſe laceſſitus ulciſceretur, novas eidem contumelias ſtudebat ingerere; ſed cum maxime quæreret, nullum acrius maledictum invenire potuit, quam ut illi objiceret,quod incultus, inornatus ac male tonſus incederet.quod cum vehementer admirati eſſemus, audivimus poſtea, nullum apud eos haberi flagitium majus, quam tibialia ligaminibus ſericis ad terram uſque productis non adſtringere, vel minimam in collari rugam admittere: nullum nefas grandius exiſtimari, quam perpeti, ut in coma vel barba pilus unus ceteris altior excreſcat, nec ſtatim novacula revocare quod petulantius ſeſe profuderit: nihil magis ſordidum cenſeri,quam,menſem integrum,eodem uti amictu. Sed improviſus Pluſii adventus omnem

 illis

illis iram ſedavit, & in tranquillo conſtituit. nam, qui velum allevabat, feſtive, Heus, vos, inquit; manus de tabula, magiſter adeſt. At ille, qui præeuntibus ceteris, vel procœtonem tranſiens, ad aram Iovis ſe confert, ſacrificanti adeſt, revertitur, prandium poſcit; Gallonius, ut omnibus rebus inſtructum ſit prandium, curat. quo expleto, revertitur ad nos; atque, Is, inquit, qui me invitavit ad prandium, juſſit ſterni lectos in hortis urbi propinquis, ad fontem large manantem. at me hercle capietis voluptatem ex loci aſpectu. nam & propter arborum viriditatem eſt longe amœnus, & propter vim decurrentium aquarum frigidiſſimus. Ne multa; eo deducimur, locum intramus. Vbi tantam aquarum vim cernimus, quantam uſpiam nos non vidiſſe meminimus. etenim non certis fontibus, ſed imbribus, non rivis, ſed fluminibus, locus totus exundat. Specus ſex, incertum natura vel ars in montis dorſo cavavit; ſed ita ut unis tribus alteri tres incumbant; aſperis ac rudibus tophis lepide & jucunde perhorridi. ab his tophis, tum intra tum extra ſpecus hærentibus, ac varia herbarum viriditate diffuſis, aquarum imbres magni vehementeſque procurrunt, qui tum ſpecus ipſos implent, tum latum ante ſpecus ipſos lacum efficiunt: locum parietes, ab utroque montis latere producti, in latitudinem quadrant; per quos horriduli, & ipſos ſaxis intectos, quo incultæ illi ſpecuum aſperitati reſpondeant, perpetui defluunt imbres; habentque poſt ſe inter diffuſa late nemora ſpecioſiſſima ambulacra. hic talis eſt ſonitus, qualem ex multis atque alte cadentibus aquis eſſe oporteat; talis ſpecies, quam fontes, nemora, ars denique & natura ipſa componant. In hoc tam amœno ac perfrigido loco, apud eum fontem ſpecioſiſſimum, ſtatutos lectos, & appoſitam menſam invenimus, ea epularum varietate conſtructam, qua extrui ſolet ab iis, qui amicos magnifice volunt accipere. Ecce autem, ex improviſo, ingens ad aures noſtras clamor ac ſtrepitus accidit. qui prandium dabat, convivas alios à ſe vocatos adeſſe narrabat. capita hominum numeravimus novem, attamen ex ſtrepitu, quo in eum locum irruperant, ſexcentos eſſe juraſſes. Hi ſimul ut apparuerunt, tanquam hoſtes capta urbe ſolent,
cuncta

cuncta diripere, tuburcinari, vorare, œnophora exhaurire, & clamore omnia miscere. ille, qui invitaverat, pene irasci, clamare, ut manus lavarent, ut lectis se commendarent; atque ægre impetratum est, ut vellent accumbere. Tres erant lecti, & in singulis quaterni discumbimus; summus Gallonius; ac prope eum ego; tum Paulus Æmilius; infra; ceteri omnes. Hic tantum vini exhaustum est, quantum una vindemia colligitur. qui stellas numerare potest, numerum etiam cyathorum inibit qui sunt exhausti. atque ab implendis tradendisque poculis viri sunt quinque defessi. Sed inter clamores maximos, inter risus effusissimos, sæpe ructus, sæpius crepitus erumpebant; nulla alia vox exaudiebatur, nisi hæc, Bene mihi, bene vobis, bene Plusio nostro. Iam non in ventres, sed in cloacas, sed in barathra profundi vinum videbatur. Vix lauti quidquam in mensa apponebatur, cum direptum illud vidisses. Erat inter eos unus longe urbanissimus, qui cantharum, in quo potitabat, frustis esculentis tanquam rosis coronabat; &, cum vino implesset, in se totum ingurgitabat. hic clamores edi, hic cachinnos tolli, & faustis acclamationibus operi gloriosissimo plaudi. Productum erat prope ad vesperam convivium, nec bibendi modus ullus, nec satietas erat. Ecce autem adest à Plusio servus, qui Gallonio nunciat, ut, relictis rebus omnibus, curriculo ad Prætorem transeat, eique Plusii verbis exponat, ut honoris ipsius gratia Toxillum è reis eximat, & quamprimum incolumem ad sese remittat. Hic evictus, quod hæreditatem Veneri relictam expilasset, quod falsos testes subornasset, ac multa alia nefaria fecisset contra jus fasque, contrusus in carcerem fuerat. Itaque à reliquis convivis distrahimur, atque ad tribunal Prætoris accedimus. Hic magnæ cuidam quæstioni operam dabat.

Lictores mulierculam forma non mala, quam meritricem esse ajebant, in jus abstraxerant, ejusque opera male se fustibus acceptos querebantur, ac fidei faciendæ causa, brachia ac tergora plagis varia ostentabant. Rogat Prætor, cui tantum animi ad audaciam fuerit, ut unius meritricis causa publicas personas tam insigni affecisset injuria? Respondet unus, ceteris fortasse ad

 dicendum

dicendum paratior; furem manifesto deprehensum rapiebamus in carcerem; qui, dum illac transimus, ubi venefica isthæc inhabitat, sese è vinculis eximit, manus nostras effugit, atque in unam ejus vici domum irrumpit. nos insequi; nec cum satis constaret quo se recepisset, singulas ejus viciniæ domos perquirere. Ne multa; ad ædes hujus meritricis venimus, fores pultamus; nemo respondet: calcibus impetimus; tantundem: effringimus; nihilo magis. ergo scalas ascendimus, ac mulierem in lecto jacentem invenimus. Tum ego, Quid est, inquam, quod taces? cur es passa fores effringi? eratne ita magnum recludere? Illa in eodem silentio perseverare. Tum ego, Vide, inquam, obstinatum ad tacendum animum, ut sese offirmat? propudium, jam aliquam ex te vocem saltem ingratiis eliciam. iratusque virgis graviter illi latus impello. Tum demum illa, dolore coacta, Heus, exclamat. Rem incredibilem; vix Heus dixerat, cum, imbris vel grandinis more, crebros nobis, in scapulas, in caput, in brachia, fustium ictus sensisses irruere; neque tamen fustes, neque aliquis, qui verberaret, conspiciebatur. Nos, metu perterriti ac male multati, terga vertere, per scalas præcipites currere, pedibus salutem quærere. Interrogat Prætor, quemadmodum id factum esse arbitrentur. Respondent illi fidenter, se existimare, id sibi contigisse muliebribus veneficiis atque cantionibus: ac, Tibi, inquit, nosse licet ab ista, quam hujus rei testem adduximus; hæc, ut de facie conjiciebamus, scortum erat diobolare pagoque pollu-ctum. Ac, prætorem intuens, Si mihi, inquit, fides publica detur, rem omnem uti sese habeat aperiam. Iussa mulier à prætore, quæ sciret, edicere, Nos, inquit, meretriculæ, si quando ab amatoribus nostris deserimur, ad eos revocandos, frustulum panis cum caseo, certis quibusdam precibus devotum, de fenestra dejicimus: at, si canis atra voratum illud adveniat, impetritum inauguratumque existimamus esse, & mox eum, quem volumus, adfuturum. sed interea dum ille veniat (nisi si quæ malam rem quærit) caveat oportet, ne verbum unum faxit. nam si mutire audeat, feret infortunium. Bona hæc mulier venit pridie ad me domum, querens, quod ama-

amatorculus ejus sibi graviter esset infensus, quod alium ad se virum, ipso invito, recepisset, ac propterea amorem & dona alio transtulisset: orabat, rogabat, ut sibi subvenirem, & rationem ostenderem, qua eum posset ad sese reducere. Ego ejus miserta, ne eodem redigeretur unde orta est, nempe ad egestatis terminos, frustulum panis cum caseo pręcantatum porrigo, jubeoque ut deturbet in viam. Illa accipit, projicit; venit canis, devorat. tum fores claudit; in lecto se collocat, dum amator veniat, expectans. jamque rei nihil nisi eventus deerat, qui quidem facile ex sententia contigisset, nisi, quæ cuncta miscet, Fortuna prohibuisset. His dictis, obticuit. Tum prætor jubet vinctam dicere. Quæ audacter respondet; nunquam se vidisse cuiquam pulchrius ligna præberi, quam sibi ac lictoribus præbita essent. Interrogat prætor, unde id factum existimet. Respondet illa, se existimare, deorum manium opera fuisse perfectum. Tum, Tu igitur, inquit prætor, venefica es? Mulier subdola, atque ad malitiam instructa, Nihil, inquit, minus; quin misere sum veneficiis aliarum obnoxia. nam prope est annus, cum à Lemuribus exagitor, maleficæ cujusdam invidia. ac sæpe est, cum, verberibus ad necem affecta, pro mortua inter vicinarum manus efferor. His auditis, prætor vicinis in hanc rem testimonium denunciari jubet. qui statim adeunt. sed, vicinitatis necessitudine, & ut à muliere gratiam inirent, eamque periculo damnationis eriperent, jurati, illud idem pro testimonio dicunt quod meritrix in defendendo responderat. Tum prætor à sevęritate in misericordiam versus, mulierem, velut lymphatam seu ceritam, de consilii sententia absolvit, de reis eximit, lictores abire in malam rem jubet. Consilio dimisso, prætor ex aula, ubi cognitioni operam dabat, se subducit, & in cubiculum abdit. non enim apud eos, ita uti Romæ mos est, judicia publica exercentur in foro, sed in ædibus magistratuum fiunt. Gallonius, ut introducatur ad eum, postulat. se enim habere, quæ Plusii jussu eidem exponat. Cubicularii rem ad prætorem deferunt, qui, ut adesse à Plusio nuncium accepit, continuo intromitti eum imperat, sellas poscit, ac sedere Gallonium jubet.

Ille,

Ille, modestiæ scilicet causa, negare; prætor instare, neque se aliter eum auditurum dicere. Gallonius morem gerit; in sella se collocat; &, quæ à Plusio mandata habet, exponit. Quarum summa hæc erat; Vt reum illum, quem falsi & expilatæ hæreditatis criminibus accusatum habebat in carcere, sententiis judicum absolvendum curet. hoc enim beneficio magnam se à Plusio gratiam initurum. Respondet Prætor, reum illum, esse scelerum caput; crimen manifestum, capitale, invidiosum; &, si juri legibusque sit locus, jam pridem, inquit, in supplicium, in crucem, abreptum eum oportuit. sed quoniam Plusio ita ille est cordi, rationem inveniam, qua incolumis judicium effugiat. res Veneris agitur; cui si quid adimitur, impune aufertur. dii boni sunt, liberales; nec, affecti injuria, irasci cuiquam sciunt. In pauca ut conferam; impensius etiam, quam exigebatur, promittit operam. &, quo ab hujus sermonis tristitia animus ad hilaritatem traduceretur, percontari cœpit ex Gallonio, quid rerum Plusius ageret, quo genere voluptatis pomeridianas horas deciperet, quot cyathos biberet, quot uncias cantharus caperet in quo potitabat; atque alia, id genus, multa, quibus egregie Gallonius satisfecit. Sed, cum jam advesperasceret, discessurus surrexit. quem Prætor, officii gratia, ad scalas usque perduxit, identidem admonens, ut suis verbis multam salutem Plusio diceret. Qui demum, ita honorifice acceptus atque dimissus, lætus nobiscum domum versus iter arripuit. Sed ad ostium amico cuidam veteri occurrit; quem post mutuas salutationes rogavit quid ageret. qui inquit; Iræ sunt inter Prætorem & Asterium illum divitem: eo, ut pacem conciliem. Quid audio? Gallonius ait. Asterius scit irasci? quem ego tam putabam tranquillum, quam est mare cum halcyonum fœturæ substernitur. At pol Asterius antiquum suum obtinet, respondit ille; sed Prætor solus est in fermento, ac totus tumet. Da mihi operam; ridicula res est.

Habebat Asterius apud centumviros controversiam de re pecuniaria cum Robusto Vrsaceo. Itaque eum vadatur. Continebat autem vadimonium, ut ad certam diem Vrsaceus in judicio se sisteret ad sententiam judicum

cum audiendam. Vrſaceus diem vadimonii obire contempſit. Quamobrem tanquam contumax condemnatur, ac ſecundum Aſterium ſententia profertur. Vrſaceus prætorem appellat, qui ſtatim judices perperam judicaſſe pronunciat ideo, quia Vrſaceus vadimonio ſuo promiſerat tantum ad eam diem ſe ſiſtere, non autem judicum ſententiam accipere; ad quam audiendam novo erat vadimonio compellendus. Sed, cum clamaret Aſterius, ac verbis vadimonii vim fieri diceret, quæ erant, ut Vrſaceus ſe ſiſteret ad audiendam judicum ſententiam; bonus prætor nullam ipſi fieri injuriam dicebat, quia verba illa *ad audiendam judicum ſententiam* non erant conjungenda cum verbo *ſe ſiſteret*, ſed ab eodem interpunctionibus ſeparanda. quamobrem cum per ſe ſumpta novam orationem efficerent, novum etiam vadimonium requirebant. Aſterius, hac tam inſigni injuria verberatus, ad ultionem decurrit, ac, paucis diebus poſt, ſcribit prætori epiſtolam in hæc verba. Peto à te, domine prætor, ut in craſtinum te mihi ſiſtas, ad cœnandum mecum. Prætor poſtridie ad horam adeſt. Cui Aſterius; Tibi, inquit, gratias ago, quod veneris; ſed cras cœna dabitur. Quid hoc eſt? ait ille. nonne promiſiſti in hunc diem? Non, ait. At poſſum, inquit Prætor, epiſtolam tuam proferre, in qua me hodie vocas ad cœnam. Cedo epiſtolam, ait ille. ac ſumptam in manus legit; ac, Nihil, ait, peccatum eſt à me, cum ita ſcripſi. nam poſt verba illa, *rogo te, ut domi meæ in craſtinum te ſiſtas mihi,* interpunxi, quia illa altera *ad cœnandum*, ſunt initium novæ orationis, atque alium diem indicant. quamobrem debebas expectare novam invitationem. Prætor iratus, Itane, inquit, magiſtratus eluduntur? haud impune hoc auferes. Nulla, inquit Aſterius, à me tibi orta eſt injuria: à te ipſo hoc profectum eſt totum. ecce exemplar ſententiæ tuæ, ubi ita interpungendum eſſe decernis: at jura omnia clamant, ut, quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, eodem ipſe utatur. Prætor deluſus &, quod magis ipſum urebat, incœnatus domum revertitur. Riſimus inſulſum prætoris acumen. At ego, Tantane, inquam, eſt apud vos penuria virorum prudentium, ut neceſſe habeatis hæc tāta munera ejuſmodi pecudibus

deman-

demandare? At ille, Non mirum est, ait. nam sæpe in hac Republica non virtus & merita, sed casus & gratia, magistratus honoresque conciliat. unde, doctis & illustribus prætermissis, imperitis obscurisque ejus regendæ potestas tribuitur. His actis, ille ad prætorem Asterio conciliandum, nos ad stomachi frementis tumultus cibo ac potione sedandos processimus.

LIBER III.



AM sol oceano lætus emerserat, ac terras exhilaraverat, toto cælo luce diffusa, cum nunciatur Gallonio, juvenes stare ad januam duos quosdam, qui eum magnopere evocarent. Prodiit ille, & nos una secum. Rogat, quid velint. At illi, currendum est tibi, inquiunt in ædes Democriti amicissimi tui; curandumque, aut consolando, aut consilio, aut re, ut eam illi ægritudinem adimas, quæ misere eum arripuit. nam neque cœnavit heri vesperi, nec proxima superiore nocte potuit partem aliquam quietis accipere. rogatus, quid ægre sibi sit, non audet dicere; tantum suspirat, illacrimat. tu fortasse, pro amicitia quæ inter vos est, poteris ex eo tantæ ægritudinis causas exculpere. Quibus Gallonius, Nunciate, inquit, Democrito, nos ibi mox adfuturos. Sed placuit Gallonio, medicum arcessere, & secum ad ægrotum adducere. Itaque venimus in ædes cujusdam Aristarchi, qui, ut Gallonius narrabat, magnum in medicis nomen habebat; atque eum oppressimus, contemplantem in speculo formam suam: ac simul, ut Gallonium aspexit, quid tibi, ait, hæc figura oris videtur? Pape, inquit, nimis lepida, nimisque nitida. Quid corpus hoc? Vide ut est solidum, leve, succi plenum: ecquæ est mulier digna ad hanc formam? Nulla, inquit Gallonius. Sed missa isthæc face; & causam, quæ nos huc impulit, accipe. Venimus, ut te ad ægrotum adducamus, ex animi ægritudine pene confectum, atque illum ut sanum facias. Perfacile istuc quidem est, respondet Aristarchus; sed non est mihi ocium in præ-

sentia

ſentia; nam promiſi operas meas flamini magno Liberi patris, qui jam diu laborat ſtomachi vitio. Cui Gallonius, Si eſt ita, inquit, ut dicis, in publica commoda peccem, ſi tibi moleſtus ſim. vale. Poſtquam diſceſſimus, quærimus ex Gallonio, num ſanus ſit, necne, qui ad curandum inſanum, eum adducendum curet, cujus caput Anticyris tribus ſanari vix poſſit? Arriſit Gallonius; ac, Stultitia, inquit, in qua iſte verſatur, ſane ridicula eſt atque faceta. nam cum ſit forma adeo, ut vidiſtis, enormi & inhoneſta, ut monſtrum potius hominis dici poſſit, quam homo; attamen Adonidi & Paridi præſtare prædicat formam ſuam, omneſque ſe ultro ſectari mulieres memorat. itaque, ſenem ſe eſſe oblitus, nihil eorum, quæ ſunt adoleſcentium, à ſe alienum exiſtimat. etenim amat, potat, cantat, ſaltat: &, quod magis miremini, canus, varus, gibbus, bucculentus, breviculus, niger, fœtida anima cum ſit; in contentione amoris multis præclaris adoleſcentibus ſuperior evadit, non aliis armis inſtructus, niſi pecunia, quæ cum aliis bonis, quæ ſecum affert, genus largitur & formam. verum hæc nota ſtultitiæ, multarum maximarumque virtutum excuſatione defenditur. nam eſt philoſophus egregius, medicus, poëta, orator; & ſi ægrotum, quo properamus, inviſat, continuo morbi genus aperiat, curationem illi morbo aptam adhibeat. Dum hæc loquimur, ac ridemus, ægri illius domum venimus; intramus, videmus eum pallidum, mœſtum, & in acerrima cogitatione defixum. Rogat Gallonius, quid ſit attonitus, quidve pallidus? Quia, inquit, animi mœrore conficior novo, incredibili, acerbo. Rogat, num magnum aliquod facinus patraſſet, unde judicium pœnamque metueret? Negat. Quærit, num æs alienum tam grande conflaſſet quod diſſolvi non poſſet? Negat id quoque. Inſtat, num pro altero ſpopondiſſet; num incendio, naufragio, ruina rei familiaris damnum feciſſet? Nihil eſt horum; reſpondet. Cedo, inquit Gallonius, quid eſt, quod te ita miſerum habet? Illud, ait, quod mihi ſenectutem inſtare jam ſentio, &, quod eſt conſequens, mortem eſſe in propinquo. hæc cura tam alte mihi in animo inſedit, ut extrahi nequeat; ita eum acriter urget, ut ſedari non

poſſit.

possit. Tum Gallonius exclamat; Abi hinc, quo dignus es, cum ista tua tam insulsa stultitia. profecto si de omnibus stultis, qui ubique terrarum sunt, rex fiat, nemo antecedat, credo, tibi. Nunc enimvero, excepit ille, adigis tu homo me ad insaniam. tune insanire vocas, incommoda senectutis expendere, necessitatem consequentis mortis horrere? At Gallonius, Dic, inquit, mihi, quid solicitudine ista, curaque, proficias? num te propterea senectuti mortique surripias? Vt te excrucies, torqueas, ut miserorum miserrimum facias, ne minimam quidem senectuti mortique moram injicies; quin etiam utramque maturiorem efficies. Cur ergo gratis miser esse vis? Quin tu solicitudinem istam, quæ te excruciat, omitte, & dona præsentis cape lætus horæ. Quid potest esse mihi lætum, excepit ille, exitum meum cogitanti? Me miserum, cum memini, jam jam fore cum ego propius sim abfuturus à morte. Quid si te, inquit Gallonius, mors antea quam senectus oppresserit? cui enim est exploratum, se ad vesperam esse victurum? Vt libet, inquit ille. quin, si me audiet, jã veniet, atque his angoribus animum exuet. O dignum, Gallonius exclamat, cui crassæ compedes impingantur: quod metuis, cupis; quo solicitaris, inde finem solicitudinum speras. Primum hoc expedi; Vtrum mortem in rebus bonis, an in malis ducis? Si in bonis; quid metuis? Si in malis; quid eandem finem malorum facis? Non potest ea res numerari in malis, quæ cetera etiã mala dissolvat. Ita me Juppiter amat, ut tuarum miseret fortunarum; &, quoniam tibi insaniendum erat, aliquod saltem stultitiæ genus contigisset lætum, festivum, exhilaratum. ita enim & tibi lætitiam quæreres, & nobis ludos parares, non autem utrisque molestiam, ut nunc facis, afferres. Tum ille, Derides me? inquit. quid? tu solus ita es sapiens, ut omni stultitia propemodum careas? erras; nulla est sapientia tam magna, quę omni prorsus administratione stultitiæ vacet. Cui Gallonius, Vt istuc, inquit, tibi concedam; jam meæ me stultitiæ, cujusmodi ea sit in qua nũc versor, non pœnitet, cum alios nequiori, molestiori saltem genere stultitiæ, implicatos aspiciam. at si pergis ineptus esse, non video, qui modus, aut quis finis, stultitiæ tuæ futurus

sit,

sit. etenim ægritudines alias, dies adimit; hæc, quæ de ætate prætereunte tibi ægritudo est, augescet quotidie magis; &, quantum tibi ad annos addetur, tantundem etiam ad istam tam ineptam molestiam accesserit. Tum ille, Sine, ait, me esse miserum; neque præterquam, quas isthæc ægritudo molestias habet, addas. Quoniam, inquit Gallonius, tibi molesti intervenimus, geremus morem; abibimus. at moneo, ne me posthac accersiri jubeas. nam frustra jusseris. ac, si miseriis delectaris, deos oro, ut perpetuo sis miser. Nec plura locutus, se foras ejecit, atque ad demonstranda nobis præcipua urbis loca convertit, ædes videlicet sacras, theatra, porticus, fora, gymnasia, domus privatas. Quarum una, ampla sane atque magnifica, in fronte grandibus notis incisa præferebat hæc verba:

Dominus domus, iis, quorum operam sibi conducit, præter mercedem, neque beneficium, neque gratiam, neque pecuniam largitur. hoc illis esse prædictum vult, ne postea se fuisse deceptos querantur.

Tum ego; Laudo, inquam, liberum, & apertum ingenium hominis, qui neminem vana spe captum patitur apud se operam perdere. At, tum magis id dicas, inquit Gallonius, si scias quemadmodum servet, in eo quod promiserit, fidem. sed, quamquam totum se prodat, ut vides; attamen, si emanet in vulgus, desiderari aliquem in ejus familia, incredibile memoratu est quam multi etiam locupletes ac domi nobiles eum locum quæsitum adveniant. adeo Dynastarum nomen hic sanctum habetur, ut sibi quisque honestum putet, sine ulla spe sese illis in servitutem dicare. verum, quem in hanc domum, sive voluntas, sive casus impellit, huic omnes putant & fortunam, atque omnes res bonas esse adversas. Hæc dicentem luctus & clamor ingens interpellavit; conversi videmus scrutarium in foro Cupidinis scruta popello vendentem;

Qui miser horrisonis implebat questibus auras,
Dilacerans sæva pectora nuda manu;
Filius, & tristi flebant cum fratre sorores;
Latrabat tumida maxima voce canis.

Ipſe videbatur Brennus crudeliter ignem
Romulidum tectis ſuppoſuiſſe ferox;
Vel Danaum Dolopumve dolis conſternere ferro
Pergama, & antiquas Laomedontis opes.
Tum commota nimis vicinia tota reclamat;
Currit, ut afflicto ſedula præſtet opem:
Atque, Vbi ſunt fures? ubi, peſſima turba, latrones,
Inquit, quique tuam diripuere domum?
Quid miſero inveniunt tantos conflaſſe tumultus?
Quadrantem, furax quem puer abſtulerat.

Neque aderat uxor in turba lugentium. nam eam domi incluſam contineri ajebant cum inſtitore neſcio quo, quem, conſcio marito, ipſa ſibi cuſtodem corporis ſui & ſocium adjunxerat; idque propter neſcio quam timiditatem & inanes quoſdam metus, à quibus verebatur, ne, dum maritus in foro mercenariis vinclis conſtrictus erat, corriperetur. quamobrem nihil magis quam ſolitudinem horrebat. At inſtitor, ſcrutarii vocibus excitatus, ſane commotus eſt, atque, ægre à mulieris latere avulſus, accurrit in forum, ut contubernali ſuo, quemadmodum uxorem, ita facultates atque animam tueretur. Venit igitur, in turbam ſe inſerit, cauſam tumultus exquirit; reperit, quadrantem furto ſublatum totam illam turbam conflaſſe. Quamobrem, magna cura liberatus, detractam ſibi è crumena drachmam ſcrutario tradit. qui, lætus pro quadrante ſubrogatam ſibi drachmam fuiſſe, ad intermiſſa negocia ſe recipit; ille ad mulieris meticuloſæ cuſtodiam regreditur. Erat ex adverſo adoleſcens filius familias, mulieris ejuſdem amore deperditus, ſed patris parſimonia, & lex quinavicenaria, ut nihil eſſet quod daretur, id curaverant probe: reſtabat nihil aliud, niſi oculos paſcere, ſectari, in templa Deorum ducere, & reducere: neque tam erat ipſi moleſtum carere muliere, quam acerbum, alterum ea potiri; &, ſi daretur optio, vel totam optaſſet ætatem ſine illa vivere, quam pati eandem unum diem eſſe cum altero. Quocirca, ab amore ac zelotypia ſimul oppugnatus, rivalem ſuum apud ſcrutarium his verbis in ſuſpicionem adulterii conabatur adducere, odio ſuo pietatis præferens ſpeciem.

Quæ

Quæ nova simplicitas hæc est, ridendave conjux.
Vxori mœchum conciliare suæ?
Nonne externa tuo cernis vestigia lecto,
Cum reducem vesper te facit esse domi?
Hoc ait & rumor. Non sentis murmura, & omnes
Conversos oculos in tua probra vides?
Quis tam stultus adest, vel tam sine pectore amator,
Tempora qui frustra commoda abire sinat?
Dum properat Cretem ventis dare vela secundis
Conjux, Tyndaridem Troicus hospes habet.
Si facit egregia uxoris te forma timere,
Illam crede mihi; sic bone tutus eris.
In longas poteris quamvis proficiscier oras;
Iam non insidias sit timuisse tibi:
Ante meum potius caput hac cervice recedet,
Quam violet thalami fœdera casta tui.
Non pudet excubias me cara ad limina semper
Ducere, non rixas inseruisse piget,
Aspera non hyemis incommoda ferre recuso,
Non fessum nuda ponere corpus humo:
Seu gelidus rapidis aquilonibus intonet æther,
Seu subitus multa decidat imber aqua.
Ipse aderit lateri custos mihi bellicus ensis,
Nec fiet longo cura labore minor:
Quaque feret gressus, sequar hanc seu templa Deorum
Visere, seu dicet velle redire domum.

Non est passus scrutarins plura eum loqui; sed, Vna, inquit, opera, duorum labori parcam; tui dicendi, mei auscultandi. Tua isthæc magnifica verba atque promissa non pluris facio, quam plumas avium, papposque volantes. Etenim ne uno quidem nummo ditiorem mihi crumenam efficiunt: nihil mihi opus est eo, qui uxori meæ latus ab externis viris muniat. nam istorum defensorum abunde est domi. sed opus est eo, qui pecuniam & commeatum defensoribus afferat. Atque, ut tu noris, ille, quem tu mihi invisum facere properas, cum domum meam venit, non solus ingreditur, sed commeant cum eo vel pecuniæ sacculi, vel tritici acervi, vel carna-

ria, vel caſei, vel utres olivi. Itaque dum mihi ſic uſui eſt, illi maneat potius; tu aliam, quam tuearis, exquire. nam iſtiuſmodi cuſtodes tui ſimiles nihil moror. Atque eodem tempore quo adoleſcenti illuderet, terga obvertit. Tum Gallonius, Cenſeo, inquit, domum eamus. nam eſt in animo vos, à prandio, viri cujuſdam nobilis domum adducere, quo quintodecimo quoque die eruditi complures, tum exercendi, tum declarandi ingenii cauſa, conveniunt. Verum quod ad virum iſtum nobilem attinet, nolite exiſtimare, quidquam ipſo perfectius exiſtere, vel in corporis, vel in animi dotibus. nam puer, omnium ætatis ſuæ multo formoſiſſimus, doctorum hominum familiaritates expetiit, adeptas conſtantiſſime tenuit; & uſque adeo eorum exercitationibus deditus eſt, ut unum ex illis corpus, nomine Academiæ nuncupatum, cogendum conſtituendumque curaverit; &, quia nullum poteſt corpus ſine capite coalere, præfectus eſt illi unus, qui tamquam membris caput inhæreat: atque hodie ex vetere eorum inſtituto convenire frequentiſſimi debent in ejus ædes. Vbi etiam binos ejus liberos videbitis, ætate, ingenio, ac forma præſtantes, ſed magis ſapientia ac probitate conſpicuos. non enim eos parens, ad hunc morem, qui nunc increbuit, ſed ad veterem diſciplinam, optimam, ſanctiſſimamque, inſtituit. quo fit, ut nullis iidem vitiis affines inveniantur quæ ſecum fert adoleſcentia, ſed omnis in eis eximia ac digna homine nobili doctrina laudetur, qui à gravioribus exercitationibus tanquam ab opere feriati, non tradunt ſe languori ac voluptatibus, ſed in hæc amœniſſima ſtudia, tanquam in hortos, & ad hanc animi remiſſionem liberaliſſimam, conferunt. Quo die hic litteratorum conventus convocatur, eorum unus, qui eas ſibi partes accepit, cathedram aſcendit, ac ceteris academicis, paulo infra ſedentibus, vel ſolutam orationem, vel carmen, vel ejuſmodi aliquid dignum eruditis auribus, profert. Tranſactis jam ejus partibus, princeps Academiæ à ſingulis Academicis vel odas, vel epigrammata, tanquam collectam, à convivis exigit; qui clara voce, quidquid nuper ingenio pepererunt, exponunt. Vos igitur his ſtudiis elegantiſſimis deditos

ditos illuc adducam, quo aditus omnibus patet. Sed interea domi meæ ſedete tantiſper, dum redeam expectantes. nam promere, quæ opus ſunt, debeo Dynaſtæ meo, ut ſit paratum prandium; tum nos etiam de reliquiis prandebimus. Ille it: redit. Sed in redeundo quidam ipſi notus occurrit, & lateri adhæſit, neque, cum domum jam perveniſſet, potuit eum à ſe divellere, ſed, pertinaciter hærens, Prandebo, inquit, apud te hodie. Gallonius, diſſimulans, Derides me, ait, ac ludis ludo tuo; diſpeream ſi ſim obſonatus ex tuis meritis. Ille, Nihil agis, inquit; vocata res eſt; hic ſim hodie, oportet. Ac eadem opera pallium poſuit, & gladium quo erat ſuccinctus, & ſoleas exuit, & accubitum ivit. Gallonius, ut contendere durum eſt cum victore, manus dat, cedit, atque, Vt lubet, inquit; ſed ita familiariter accipiere, ut te huc veniſſe pœniteat. Ac, ne eum videretur invitus recepiſſe, frontem exprompſit, & ad hilaritatem animum dedit. Sed videre erat illius inhoneſtatem & aviditatem cibi, quemadmodum unumquodque, quod erat belliſſimum, raperet, in os mitteret, voraret, ut ſe vino impleret. Poſtquam pranſus & appotus eſt probe, deducit pedes de lecto, ſoleas induit, pallium & gladium repetit, ac lateri humeroque componit, ſalutatoque Gallonio diſceſſit. Eo egreſſo, variis ſermonibus pomeridianum illud tempus fefellimus. Sed ego, admiratus hominis impudentiam ac voracitatem, me continere non potui, quin quærerem de Gallonio, quid illic hominis eſſet, qui tanta vi expugnatum aliena prandia veniret. Qui ait, ex hoc eodem eſt oppido, eidemque Dynaſtæ, cui ego, operas ſuas locavit. Sed ejuſmodi homines, qui verſantur in aulis, ſi ex facie atque ex ornatu corporis æſtimes, tibi videbuntur eſſe quantivis precii; ſi ex cenſu, caſſa nuce inaniores invenies. egó magis miſericordia, quam aliqua vi adductus, hoc à me prandium extorqueri ſum paſſus. nam fortaſſe miſero nihil erat domi quod eſſet. Sed quoniam ſatis quievimus, abeamus, cenſeo, quo nos ituros conſtituimus. Ac brevi anfractu in illius viri nobilis domum pervenimus. erat enim ſita in ea urbis parte, quæ colitur & habitatur frequentiſſime,

me, quaque certis horis ultro citroque commeare animi causa omnis fere nobilitas solet. In ædium fronte, domini earum nomen grandibus litteris erat incisum, LUCIUS MINUCIUS SINISTER. Adeuntibus fons, in medio viridarii elegantissimi positus, objiciebatur. Pegasus, factus è marmore, Phœbo Musisque circundatus, pede terram feriens, magnam vim aquarum in altum excitabat. in cujus basi legebatur hoc epigramma in honorem domini ab Arido academico factum.

Hic, ubi dulce sonat cygnorum cantibus æther,
Atque Helicona novum Lucius instituit,
Conspicuum late fontem salientibus undis
Durus Pegasei suscitat unguis equi;
Vt sit, ubi dominum tollatis in æthera, Musæ,
Et testudinea, Phœbe superbe, lyra,
Quilibet insolito premeretur pondere, vestræ,
Phœbe & Pierides, hoc erat artis opus.

Postquam ea amœnitate ac pulchritudine satis oculos pavimus, venimus in aulam tabulis pictis undique ornatam ac refertam. In quibus primum tutelaris Academiæ deus colebatur. Tum in altera tabula multis Virgo voluminibus insidens conspiciebatur; in cujus dextera tuba hærebat, simiæque demortuæ duæ jacebant ad pedes. in virgine, Academia referebatur; in simiis autem extinctis, academiæ itidem duæ significabantur, quæ ad æmulationem illius infelicibus ortæ auspiciis brevi perierant. Ab utraque parte, duorum illustrium Academicorum imagines ad vivum expressę pendebant. quorum alter, Bellino nomine, insignem eclogam edidit, quæ hodie ab omnibus legitur; alter vero, Thalassicus appellatus, multa optimorum versuum volumina scripsit, & in his fabulam Adonidis egregio poëmate cecinit. Erant autem omnes hæ tabulæ inaurata corona vestitæ. Supra suggestum, Academicis dicturis extructum, ad quod duplici scalarum ordine ascenditur, insigne Academiæ, Arpinatis pictoris nobilissimi manu depictum, inhæret. Reliquos parietes singulorum Academicorum insignia vestiunt atque ornant. Sunt autem insignia apud eos similitudines quædam, quibus unusquisque utilitatem, quam ex academicis exercitationibus

percipit,

percipit, addito aliquo brevi dicto, exponere atque oculis pene ipsis subjicere conatur: at erant ita apta, ita venusta, ut eorum cognitione nequaquam animum satiare atque oculos explere possemus. Sed quia audiendi gratia concursus fiebant, veriti, ne, dum ociosi spectamus, sedilia complerentur, sessum ivimus. Vbi oculos in se nostros macilentus quidam ac natu grandis attraxit; qui, hac atque illac concursans, hunc rogabat ut accederet, illi in aurem loquebatur, alium ducebat sessum, alii obviam ibat, neque ullam partem quietis accipiebat. Quæro, quisnam sit ille adeo negociosus, adeo irrequietus, qui nusquam consistat. Respondet Gallonius, illum esse Salvium Tifernatem quendam, Lucii Minucii contubernalem; cujus solicitudini, diligentiæque Academiæ universæ pondus incumbat: uno verbo, eum esse Academiæ τὰ πάντα; ejusque in primis studium laudari in eo, quod litteratos omnes inquirat, agnoscat, amicitia comprehendat, obsequio tueatur, officiis beneficiisque omnibus sibi devinciat. quamobrem dum aliena negocia curat, sua negligit, prope ad egestatem redactus est. sed constans est omnium opinio, hanc hodie Academiam stare opera ac diligentia quam præstat. ille enim crebro academici uniuscujusq; domum salutandi gratia venire, ille eos in hunc locum ducere, domum reducere; ille solus perficere, ut huic cœtui litteratorum numerus, neq; frequentia desideretur. Hæc Gallonio fabulante, ex improviso Salvius adest, ac cuidam, fusca facie nigroq; capillo, Cumino nomine, qui tabellas, quas habebat in manibus, attente legebat, Quid tibi, inquit, videtur hæc oratio, qua Obtusus noster Nihil laudavit? Elegans, inquit, ille, atque venusta. Sed venisse hoc illi in mentem gaudeo, præsertim mea caussa. nam antea ferebam moleste, quod nihili homo haberer, ac propterea dabam operam sedulo ut aliquid essem. nunc vero cum tantum in eo, quod nihil sit, ponatur esse soliditatis & ornamentorum, jam mei non me pœnitet, imo plane nihil esse delectat. Verum si Obtuso daretur optio eligendi utrum vellet, nescio an mallet esse nihil quam Cæsar. Sed obsecro, cedo mihi stylum. nam volo in his ipsis tabellis, in ima cera, aliquot versiculis hanc illi sententiam exponere.

Cuminus Obtuso salutem.

Ingemui quondam, traxique per ora ruborem,
Cum me forte aliquis dixerat esse nihil.
Nunc, Obtuse, Nihil cum sic tua pagina laudet,
Nec doleo, nec me dispudet esse nihil.
Sed peream, si, cum vel Cæsar, vel nihil esse
Possis, malueris funditus esse nihil.

His scriptis, tradidit tabellas Salvio. quas ille solita sua festinatione Obtuso deferendas reddendasque curavit. Nos vero magna cupido incesserat uniuscujusque cognoscendi. Itaque voluimus scire quid hic Cuminus hominis esset. Atque responsum est, eum esse virum Græcis & Latinis litteris doctum, atque ita Græce loqui, ut nullam nosse aliam linguam videretur. Atque eramus plura de eo audituri, nisi effusissimi quidam risus editi ab iis, qui nobis assidebant, curiositatem nostram alio avocassent. at ii Philosophi cujusdam ex eo numero ingenium & acumen irridebant, qui invenisset, densa omnia ac solida corpora esse perlucida; idque hac ratione conaretur ostendere. manum suam dexteram hinc & illinc supra lævam agebat, tanta celeritate, ut breve illud tempus, quo dextera excurrens lævam obtegeret, aciem effugeret, ac propterea læva semper cerni videretur. At ille, sive hoc dissimulans, sive non animadvertens, rationem concludebat hoc modo, Nonne mea hæc dextera est corpus densum ac solidum? at sic impulsa & agitata sæpius lævam contegit, neque tamen oculis eripit. sunt igitur omnia solida ac densa perspicua. Non intelligebat, dexteræ agitationem oculis, ut dicebamus, illudere; quæ si supra lævam immobilis staret, ita eam obduceret, ut cerni non posset. Docebat præterea, terram esse fluidam, atque in ea animantia omnia velut pisces moveri. Quid enim aliud, ajebat, sunt illa corpuscula, quæ per solis radios aquarum more decurrunt, nisi terræ particulæ? sola igitur terra hæc inferiora occupat, quæque moventur omnia complectitur. Verum non audiemus hęc ab eo qui mox dicturus est. nam semper aliquid affert ingenio perfectum, atque elaboratum industria, ac præsertim judicio limatū. hic est ille Hiero

Vo-

Volusius in primis doctus, humani ac divini juris peritus, Græcis & Latinis litteris, denique omni eruditionis genere excultus; qui plura & egregia volumina, tum soluta oratione, tum versibus edidit; neque, quamvis egregius, ad honores ascendit; id quod sæpe in hac Republica optimo cuiq; contingit. Hæc atq; alia de illo audiebamus, cum interim ipse comparet in cathedra. Erat facie honesta, sed macie ac pallore, ex studiorum labore, nonnihil obducta, &, quia oculis minus utebatur, ocu-lariorum præsidio munita; quæ illi res auctoritatem magis quam deformitatem addebat. Cœpit igitur culicem laudare; ea eruditione & eloquentia, sententiis adeo concinnis, adeo venustis, ut omnium consensu sit judicatum, nihil ex eo loco auditum esse magis absolutum, magisque perfectum. qui postquam peroravit, descendit, ac sessum inter alios abiit. At Princeps Academiæ (qui erat adolescens rufus, genere summo, ingenio maximo, quique cursum suum transcucurrerat; nam qua ætate alii de ineundo studiorum curriculo cogitant, ipse eorum metam attigerat;) hic igitur, adolescens tam nobilis cœpit sigillatim unumquemque rogare, ut, si quid novi carminis haberent, in medium afferrent. Ac primus omnium rogatur Plusius Accipiter. hic capillo erat albo, sed ingenio & comitate neutiquam senex. nam dicebatur esse cavillator facetus, hilaris, jucundus, comis & amico amicus, ac poëta in primis suavis, argutus, ac lepidus. hic, inquam, clara & suavi voce recitavit hoc hexastichum, quod ad virginem scripserat, cui melimela muneri miserat.

Purpureis conspersa notis melimela rubemus,
Et distenta gravi levia melle sumus.
At simul exiguo perfuncta senescimus ævo;
It rubor à nobis fœdaque ruga venit.
Sic crispanda manes, venient tibi fata senecta,
Et tibi pulchra genis purpura, virgo, cadet.

Et quia mos est illius academiæ, repetere quæ dicuntur, ut, si quid primo intellectum est minus, iterum prolatum rectius percipiatur; ideo satis mihi fuit ocii ad excipiendum ea quæ dicebantur. Secundo loco jussus est dicere Nicobulus Aridus. qui Claudium Magium mor-

tuum, magna apud eos homines fama ac nomine, quique olim Academiam illam princeps rexerat, laudavit, hoc carmine, in quo acute, ut mihi videtur, allusit ad insigne Academiæ, quod fons erat eximius, in cujus humore perlucido complures cygni natabant. &, quia cœperat ita submisse ab initio dicere, ut vix à proximis exaudiretur, Plusius, sua solita festivitate, Dic, inquit, Nicobule, clarius, ut, qui in ultima aula sedent, exaudiant. qui obtemperans ait:

Navigat Elysium placidò dum Magius amne,
Et fugit evictos nobilis umbra rogos,
Turba frequens passim viridantibus abdita silvis
Prosilit, & totis emicat alta jugis:
Nescia sed, quali properaret navita mundo,
Quaritat, unde novum cymba referret onus.
Ast ubi Bellinum veteri dare plura sodali
Oscula, & amplexu nectere colla videt;
Fontibus ex istis tantum fluxisse decorem
Comperit, atque illis enituisse locis.
Protinus ingeminat plausus, festisque choreis
Mista refert blandis talia dicta modis:
Scilicet ille humor si tales educat umbras,
Hoc erit ætherea clarius arce nemus.

Nicobulo tacente, Fabullus Leonatus, sponte sua, nec expectato Principis jussu, Hoc, ait, epigramma Nicobuli revocavit mihi in memoriam odam, qua ego ejus, quem meminit, Bellini poëtæ clarissimi mortem deflevi. hanc ego, nisi aliter vobis videatur, exponam. Vt lubet, inquit Princeps. quidquid enim attuleris, proderit. Qui sic orsus est dicere,

Quantus, heu, terris abiit relictis
Splendor! heu quanto fremit aura luctu!
Occidit Bellinus, amor, voluptas,
Curaque Phœbi.
Ætheris vastas penetravit oras,
Sicut & velox petit ignis alta,
Et recurvatum celeris sagitta
Præterit arcum.
Stridet ut nervum fugiente telo
Fulminis ritu laceratus aër;

Morte

Morte Bellini repetentis astra
Sic gemit Orbis.
Ille sed Divum numero Iovisque
Insitus, fertur rapido sonantis
Impetu cœli, oceanoque serus
Mergitur alto.
Et trahens albos nova stella crines,
Monstrat, ut justis operata Divis
Inter æternos generosa Virtus
Fulgeat ignes.
Hunc Venus pulchro rutilans nitore,
Hunc sibi gaudet sociare Phœbus,
Et simul noctis reparare, juncto
Lumine, damna.
Frondibus textas hederæ coronas,
Delphica & lauru, viridique myrto
Nectite, & magni date thura sacram
Vatis ad aram.
Dulce testudo resonare carmen
Docta, quod ripis remoretur amnes,
Evolet, dum par fidicen resurgat,
Cominus astris.

Assidebat Fabullo Lepidus Gallutius Sinister, Lucii Sinistri ædium illarum domini filius, paucis diebus ante, ob ingenii celeritatem, & eruditionis copiam, celerius quam per leges Academiæ liceret, in eum numerum cooptatus; atque erant omnes vehementer cupidi ejus ingenii speculam aliquam degustandi: sed ille, vel pudore liberali adductus, vel quod verebatur tot hominum eruditorum judicia subire, rogatus ut aliquid diceret recusabat. sed tandem ab amicis exoratus, Aliquot, inquit, versiculos proferam, quos mihi superioribus diebus, cum essem ruri, sum passus excidere. excitabat enim me & loci amœnitas, & cæli salubritas, ac diei serenitas, ut anni tempus lepidissimum laudarem.

Iam nunc festivo resonet mea fistula cantu
Delicias teneras, & læti gaudia veris;
Hic, ubi rura suos pandunt lætissima vultus,
Collesque & campi, quos aura beata Favoni
Aspirans, niveo rutiloque exornat amictu.

O decus eximium, splendor nitidissimus anni,
Ver, quo purpureo collucent arva colore,
Floribus atque suis stellata decentibus audet
Sidereo tellus forma contendere cælo,
Candida quos inter calathos imitata renident
Lilia, narcissique, & purpurei amaranthi,
Et molles violæ, quas suavis pallor amantum
Inficit & vario rerum natura colore
Vestit. namque albent, speciem ducuntque cruoris.
At rosa virgineo gremium suffusa rubore,
Tum pudibunda comas viridi abscondisse galero,
Tum revocare cupit roseos è limine vultus;
Virgineasque inter residens fulgere papillas,
Vel niveo pueri mirantis pollice carpi.
Hæc lasciva sinum pandit; post languida florem
Excutit è gremio, nativo murice tinctum,
Ac viridans campo gramen depingit aprico.
Sed volucrum tenui modulatum gutture carmen
Vt curas abigit tristes, atque ocia reddit!
Sirenes nemorum pictæ, placidæque volucres,
Innocuo pavidas rapitis quæ carmine mentes,
Et mala demersas securo gurgite lethes
Cogitis abluere invictas, animoque soluto
Ducere solicitæ jucunda oblivia vitæ.
Quo semper vestris resonent mea rura querelis,
Hinc omnes abeant laquei, cumque aucupe viscum.
Nec minus invisas avertunt pectore curas
Cecropiæ volucres, tenui placidoque susurro
Vel thyma carpentes, vel cerea tecta locantes.
Iamne tuos taceam tantos oblitus honores,
Lene susurrantis cælestis anhelitus auræ?
Vt ferit usque meas veniens dulcissimus aures
Spiritus iste tuus: quot naribus afflat odores!
Nam per odoriferos colles, nabathæaque rura,
Dulcia percurrens ereptaque floribus ultro
Munera grata refert, medio mihi lenis in æstu.
Aura, mane, tantumque meo da mitis agello,
Vt circum hæc volites frondosa cacumina semper;
Quo glacie ac rigidis niteant viduata pruinis;
Nec desint apibus flores, nec amica coronis

Vel

Vel rosa, vel vivax apium, violaque, vel alba
Lilia, velque ipsa nive candidiora ligustra;
Sive ferox urat sitientes Sirius agros,
Sive nives imbresque trahant cum murmure cælum.

Placuit omnibus adolescentis indoles ad poëfin; atque ea fuit opinio, dulcem illam atque decoctam, & tanquam de musto ac lacu fervidam eloquentiam, annorum decursu multo mitiorem ac suaviorem fore. Post hunc Liberalis recitavit hæc duo epigrammata,

Dum tua turgidulas impellunt lumina gemmas,
Igne ferox valido pectora torret Amor.
Quid mirum, duplices si tunc radiata per auras
Emittunt ignes, & magis uda micant?
Sic tenui toties rutiloque infecta vapore
Cernimus ardentes sidera ferre faces.

Hic cum paulum tacuisset, Laudavi, inquit, lacrymas alterius: nunc meas conquerar.

Et mea perpetuis torrentur pectora flammis,
Vdaque largifluo lumina rore madent.
Num possunt liquidos oculi deducere fontes,
Et simul ardentes mittere corda rogos?
Cur rapidos lacrymarum imber non comprimit ignes,
Vel saltem irriguas non bibit ignis aquas?
Non mirum; crudelis Amor contraria nectit,
Atque imbrem facibus miscet, & imbre faces.

Vir hic apud eos homines habetur poëta tragicus, atque ejus scriptiones grande quiddam sonare, & tanquam classicum canere dicuntur; sed ex epigrammatibus, quæ attulit, conjecimus, habere eundem suavitatis non minus. Secutus est Sabellus, qui, Provocor, inquit, à Lepido Sinistro, ut carmen alterum recitem, quo proximis Kal. Maji ejus mensis amœnitatem laudavi.

Festivi mensis, festæ venere kalendæ,
Labentisque anni gloria Majus adest.
Ecce tibi roseo perfusus lumine Titan,
Luce refert nitidos & sine nube dies;
Cultaque odoratis depicta coloribus arva
Lilia cum violis ad nova serta parant.
Cernuntur teneræ per compita longa puellæ
Ferre sinu niveas purpureasque rosas,

Et simul extructas cumulantes frondibus aras
Vndique sublata poscere dona manu.
Cur non sic totus decoratur floribus annus?
Cur æstas urit? cur fera sævit hyems?
Sed tibi vere novo reparantur gaudia rursum,
Et redit arboribus graminibusque decor.
At nobis simul ac melior defluxerit ætas,
Omnis abest rigidis flosque decusque genis.

Laudaverunt omnes genus illud scribendi lætum, exhilaratum, amœnum; ac sensimus nos, qui audiebamus, in hilaritatem impelli. At Sextilius Ligur, qui ingenio, eruditione, doctrina ferebatur in primis, quique, ut ajebant, præter libros optimorum epigrammatum, & lucnlentas orationes, in tabulam Cebetis doctissimos commentarios ediderat, Duo, ait, præclara ingenia, quæ ante me dixerunt, Veris divitias & præmia suis versibus extulerunt: at ego, qui tanto autumnum veri præstare intelligo quanto pluris sunt fructus quam flores & frondes, cum eo magis mihi arbitror rem esse. accedit, quod ætas mea propius abest ab autumno. quamobrem poma Punica, quorum illud tempus est ferax, conatus sum his versibus laudare.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Et mare gemmiferum findere classe parat,
Vt, quos dant lapides Indi Tyriique colores,
Evehat in pompas, ô nova nupta, tuas:
Hæc si purpureos imitantia grana pyropos
Murice vel gemmis splendidiora nitent;
Quin solis illinc oculis alimenta petuntur,
Insuper hinc roseum nectar & ora trahunt.

Postea jussus est dicere juvenis; nomen non memini; in quo præsertim indoles mirifica inerat ad poësin, quique, stans pede in uno, centum posset versus effundere. hic, Nescio, inquit, utrum sit optabilius, ingenio an divitiis præstare; præsertim in his moribus, & in hac civitate. ubi divitibus solis præmia, voluptates, honores, & gaudia contingunt: verum ego amico cuidam meo, fortunato homini ac nobili, qui tarditatem sterilitatemque ingenii sui, præsertim in versibus scribendis, querebatur, mihique se invidere diceret, cui ad versiculos faciendos

ciendos natura ipsa tanta, ut dicebat, adjumenta tribuisset, hoc epigramma conscripsi.

Sudas, palles, contremis, & moribundus anhelas;
Scribis ut averso carmina pauca Deo.
Stulte, quid infernas properas nunc ire sub umbras,
Fortunæ facies cum tibi grata nitet?
Illa tibi nummos, & culti jugera campi,
At mihi versiculos fundere posse dedit.
Quod si plus justa quereris mihi parte relictum,
Vt rata sint superis hæc mea vota, roga.
Nempe, quibus tumidus graderis, mihi dona resignent;
Te vena faciant uberiore frui.

Ianus erat quidam in eo numero, cognomento Thorio, quique in eo conventu Offuscatus appellabatur; cui veterum numismatum, & inscriptionum notitiæ, omnium concessu primæ dabantur. & quamvis summam doctrinæ & eruditionis laudem paucis concederet; sale tamen facetiisque facile omnes superabat. hic summe expectabatur ab omnibus, ut diceret. semper enim venustum aliquod & facetum afferebat. Qui tandem appellatus à Principe, Deplorabo, inquit, hoc carmine, adversam Cæsaris amici mei fortunam; cui annos nato duos supra triginta in sulcis rugosi illius menti nullus adhuc potuit pilus radices immittere.

Sex Cæsar lustris binos adjunxerat annos,
Et nondum barba cinxerat ora levi,
Nec dare cessabat medicata liquamina mento
Sedulus, & votis solicitare Deos.
Quod tandem faciles Dii concessere roganti,
Rugosæque pilis obriguere genæ.
Verum dum gaudet barbato incedere vultu,
Et sic formosum se putat esse virum,
Nescio quo fato, tanto quæ parta labore
Barba fuit misero, non bene firma cadit.
Scilicet hæc superis est inconstantia magnis!
Tam parva eripiunt munera tam subito!

Hic simul omnes cachinnos extollere, ac eodem tempore Latini sermonis puritatem elegantiamque, quam illud epigramma præferebat, efferre. Erat ibi forte Quæsitor Euganeus quidam, summa auctoritate ac senectute; cujus,

cujus, in ædibus Gallonii scripta quædam aspexeram. quæ ita mihi placuerant, ut non facile quidquam me vidisse fateter, quod magis incorruptam illam Virgiliani sæculi scribendi rationem conservaret. De quo palam omnes loquebantur, debuisse illum jampridem ad summum dignitatis fastigium ascendere, si esset locus probitati ac bonis artibus. Itaque vehementer aures arrexeram. cupiebam enim eas voce illa erudita & digna Romanis auribus, oblectare. Sed ea spe prorsus excidi. nam ea ætate & auctoritate prȩditum virum omnes in parentis loco habent; ac bene & præclare secum agi existimant, si interdum ad academicas illas exercitationes, & in illum eruditorum conventum non gravetur accedere. Sed lenivit desiderium nostrum adolescens nobilis, Tyrrhenus nomine; cujus majores, religiosissimi mortales, iidemque locupletissimi; quippe qui modio ac trimodio nummos metiti essent; sacella elegantissima, ædesque magnificentissimas, in ea urbe excitaverant. hic prȩstantissimum ingenium suum contulerat ad summam juris civilis scientiam; & jurisconsulto doctissimo se in disciplinam tradiderat; cujus artibus & exercitationibus ita deditus est, ut tamen, cum est ocium, præsertim rebus prolatis, versus componat, ea sermonis puritate elegantiaque præditos, ut admirationem faciant, eo urbanitatis colore conspersos, ut Romanis etiam hominibus possint imponere, ac persuadere, se idem cum ipsis natale solum habere. Rogatus igitur ut diceret, recitavit hoc epigramma de Cupidine & Apolline sub quercu dormiente,

Dum somnus placidis Phœbum circumvolat alis,
Et tegit umbriferis quercus opaca comis,
Vicina properans vidit de rupe Cupido,
Qui jussit celeres segnius ire pedes;
Ac, Solem video, dixit, recubare sub umbra,
Quæque diem retegunt lumina, nocte premi.

Erant in eo eruditorum numero quidam immisti, à quibus nullum pensum exigebatur, sed præteribantur immunes. cujus rei causam exquirentibus nobis, respondit unus, illos esse ex vetere Academia, neque ullis legibus ad recitandum obstringi. Sed cum pergeremus interrogare,

gare, quo ex genere hominum vetus Academia constaret, Ex optimo, inquit, genere, ac festivissimo. Vt enim ceteræ res, ita etiam hæc Academia, à parvis initiis orta ad hanc amplitudinem, quam videtis, excrevit. etenim ab initio aliquot tantum adolescentes coiere in hanc domum per Dionysia, ut comœdiis agendis requiem sibi ac voluptatem exquirerent; & sunt isti, qui taciti inter alios sedent. neque mos iste exolevit, sed viget nunc etiam. nec ad has comœdias, ut leges eorum sunt, quisquam, nisi suffragiis, admittitur. &, si uno puncto minus tulerit, quamvis sit Dynasta, quamvis Rex ipse, repellitur ac rejicitur. nuptis tantum nobilibus earumque viris simul, liber ad eas aditus patet. non enim putant indecorum ac turpe fœminis primariis ætate ac forma præstantibus risum movere. Erat in hoc numero quidam honesta facie, capillo candido, ac veste ad talos demissa, Ibero nomine; qui cum de more præteriretur, surrexit, ac, Nolim, inquit, videri in comœdiis tantum agendis satisfacere; cupio etiam in versibus faciendis probari vobis industriam meam: atque ostendam hoc epigrammate rationem tuendæ per æstatem valetudinis. Erecti sunt omnium animi ad audiendum. Qui sic infit:

Æstate ut valeas tota, nec sæva Leonis
Vesani possit stella nocere tibi,
Os nigro semper madeat gelidoque lyæo,
Et jaceant sicco cetera membra loco.

Risus est commotus, & simul amœnum hominis ingenium cunctorum approbatione laudatum. De hoc audiebamus, esse neminem in illo nobilissimo actorum grege, qui militem gloriosum ad veritatem propius exprimeret; hunc propter ejus suavitatem ab omnibus diligi; hunc in conventibus amicorum, in conviviis, in compotationibus principem esse. Restabat Micrus à Pisauro, qui fere semper postremus rogabatur. huic nemo voce, nemo ingenii celeritate præstabat, nemo erat in lacessendo respondendoque acutior, nemo in omni genere sermonis lepore ac festivitate conditior. præterea erat illi scribendi genus magnificum, enucleatum, dulce; sententiæ splendidæ & acutæ. Hic cum paratus ad dicendum venisset, noluit in quorundam ineptiis hærere;

qui, cum multo ipsi malint dicere, quam alii audire, recusando excusandoque diem consumunt: sed libera ingenuaque fiducia sic ait:

Dum pius Æneas flammis torretur Amoris,
Quas bibit ex oculis, dulcis Elisa, tuis,
Mene, ait, incolumem misere incendia Trojæ,
Vt Carthago novis ureret alta rogis?
Heu dispar morior! potuit tunc addere famam
Mors mihi; nunc misero vita decusque perit.

Cogitabam aliud etiam vobis carmen recitare, quo Philippi copiarum nostrarum Præfecti conjugem nuper extinctam, loquentem induco. verum satietati aurium vestrarum potius occurrendum, quam aliis eas versibus onerandas censeo, quamobrem in præsentia supersedebo; illudque in aliud dicendi tempus rejiciam. Sed omnes se statim velle audire dixerunt. Qui, solita alacritate, sic inquit:

Vt mea perpetuum celebretur fama per ævum,
Spargitur hic lacrymis carminibusque lapis.
Sunt hæc grata quidem cineri pia munera nostro;
Attamen illa magis gloria summa placet,
Quod tibi conjugio fuerim sociata, Philippe,
Luminibusque ipsis carior atque anima.
Hoc mihi longa dabit securæ tempora vitæ;
Vnus eris titulis firma columna meis.
Versibus indigeant aliæ; mihi laudis abunde est,
Quod tali dicor nupta fuisse viro.

Silentium, quo fuit exceptum hoc carmen, & cunctorum approbatio, non mediocriter placuisse illud, ostendit. sed cum jam nemo videretur superesse, qui diceret, discedendi causa omnes surrexerunt. At Hiero Volusius, qui ita copiose culicem laudaverat, manu silentium indixit, ac, Nolim, inquit, videri venisse asymbolus in hunc locum, vel potius in hoc litterarium quasi convivium, ubi à tot litteratis viris, tanquam à convivis, collectæ sunt exactæ. quamobrem ego etiam, in commune, aliquod conferam; ac recitabo Iambum, quo Vrsati, Virtutis & honoris Antistitis, nuper extincti, immaturam mortem deflevi; qui erat, ut scitis, exemplum innocentiæ virtutumque omnium.

Præceps in improbum nefas semper ruit
Non æqua mens mortalium:
Nec jussa legum comprimunt minacium;
Nec sæva lictorum manus
Peccare conantem securibus tenet;
Nec dicta justis præmia
Ad fulgidum Virtutis excitant decus.
Sic recta, quæ sunt odimus.
Quæ laus tibi, decusque quantum sæculis,
Vrsate, restat omnibus,
Quem nec virens ætatis ac florens decor,
Nec purpuræ clarus nitor,
Virtutis arcta perculit de semita,
Traxitque segne in ocium?
Miramur, atra te quod abstulit dies,
Citoque mersit funere:
At rara res non longa dat spectacula
De se, sed interit brevi:
Tu ætatis haud probæ, velut miraculum,
Præcox in astra diffugis.

Hæc cum dixisset, conclamatum est, ilicet. Itaque, facta potestate abeundi, consurgimus; relictaque academicorum corona, quæ obviam Hieroni processerat, eidemque doctissimam illam culicis laudationem gratulabatur, una cum reliqua turba discedimus. At domus illius limen egressi, longum agmen impuberum puerorum aspicimus, qui nudis pedibus atque oculis humi defixis, bini incedebant, ac nescio quod carmen flebili voce atque demissa canebant. hos magnus itidem puellarum numerus consequebatur, ad eundem fere modum concinentium. Quod sane admirantibus nobis, inquit Gallonius; Alexander, Daphnes & Apollinis præses, ac Dynasta clarissimus, sextum jam diem decumbit in lecto, gravi periculosoque morbo implicitus: atque, ut audivi, dum vos attentius dicta Academicorum excipitis, paucis abhinc horis, morbus illi amplior est factus; ita ut medici prope desperent. at hi pueri puellæque, quæ ejus misericordia sustentantur, ad omnia Deorum pulvinaria Æsculapium orant, ut sit propitius. & sane magnum hæc Civitas damnum immaturo ejus interitu


 faciet,

faciet, quo nemo est qui sumptu ac magnificentia longius prodeat. His dictis, quia non multum ad solis occasum temporis supererat, pedetentim ac placide domum regredimur. Vbi nos primo cœnæ, tum lecto tradidimus.

Sed circa secundam noctis vigiliam expergiscimur, querulis lamentantium vocibus excitati, quæ totam viciniam impleverant. Quamobrem exterriti consurgimus, capita ex fenestra proferimus, easque lamentationes ex nosocomio Gallonii ædibus proximo venire comperimus. nullæ aliæ voces exaudiebantur, nisi illæ, Hei mihi, hei mihi! crucior, disrumpor; lien, hepar, intestina omnia seditionem faciunt, eruptionem parant. Erat nosocomium illud omnium ejus urbis maximum ac celeberrimum; ibique ad ægrotos procurandos magnus mercenariorum numerus conductus alebatur; quibus Magistri auctoritate & nomine imperabat senex quidam, ut dicebatur, præparcus & durus, qui nulli rei ita studebat ut parsimoniæ; verum nullum in ea re neque judicium, neque modum adhibebat; nam interdum, ut minam lucrifaceret, talentum magnum perdebat. At Gallonius, sive captus misericordia laborantium mercenariorum, sive vitio gentis humanæ avidus cognoscendi quid esset, Quid si adeamus, inquit, & laborantibus succurramus? Censeo, ait Æmilius. Atque una omnes, succincti gladiis, miseris in auxilium properamus. Sed, nosocomium ingressi, perreptamus usque illud omne, ad cœnationem, ad penum, ad tabernam aromatariam, quo non? neque quisquam occurrebat. unum in valetudinario medicum cucurbitulas ægrotanti æneas applicantem offendimus, eidemque cruorem ex cute securi ducentem. Postremo cum fieret obviam nemo, secuti querentium sonitum latrinam intramus; ubi totam familiam ventris necessitate compulsam coisse comperimus. Erant in eo loco stercorariæ sellæ plus quindecim, omnesque ad unam ab exonerantibus ventrem obsessæ. Sed, qui postremi accurrerant, rogabant primos, ut surgerent, ut locum darent: alii, iracundiores, se iis in gremium alvum educturos, minabantur: alii ad vim confugiebant, ac sellarum obsessores loco movere nitebantur-

nitebantur: omnesque strepitu obscœno simul atque odore locum implebant. Rogamus unum, qui surrexerat, unde natum esset, quod omnes una atque eadem hora citata alvus exerceret? Respondet, se id vino tribuere, quod in proxima cœna bibissent. Etenim magister nosocomii, homo parcus ac tenax, cum fæcis magnam vim pluribus ex doliis collectam projici nollet, consultavit cum cellario quemadmodum eam potantibus nobis obtruderet. Ille, ut à Magistro gratiam iniret, Concinnabo tibi, inquit, ex hac fæce vinum ita purum, ita liquidum, ita simul mordax & lene, ut, qui degustet, non modo non aspernetur, verum etiam avariter in se illud ingurgitet. In pauca ut conferam, fæcem illam diligenter collectam, multa vappa diluit, additisque ovorum vitellis, sulphure ac magna præsertim aluminis copia totam eliquat, ac pro vino hauriendam exhibet. Vix horæ quatuor intercesserant ab ejus epotatione, cum cœpit singulis nobis alvus effluere, atque acerbissimis doloribus distrahi. Hæc audientes, in eum plane risum effundebamur, ut prope ilia disrumperentur. Sed Gallonius bono eum animo esse jussit. se enim sperare, vinum illud ipsis medicæ potionis loco futurum, quæ lethales morbos averteret, quos pestilens anni tempus induxisset. Statimque discedimus, lectum repetimus, redormimus.

LIBER IV.



Ostero die maturius multo quam pridie surreximus, ut reliquas ejus urbis regiones oculis lustraremus. Sed jam emanarat in vulgus, Dynastam Alexandrum, ea nocte, interiisse. Itaque plena erant omnia mœroris ac luctus; omnisque ætatis atque ordinis hominum ad ejus ædes, visendi gratia, concursus fiebant. Sed inter eos, qui ibant & redibant, dynasta unus alteri dynastæ occurrit; atque illico ambo consistunt; inter se amicissime salutant; uterq; alteri sancte affirmat, nihil eo sibi jucundius quidquam neque carius esse: tum pollicetur studium suum & operam sine

ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis; atque insuper addit, nihil fore ita arduum, ita difficile, quod pro eo susceptum sibi facile & jucundum non sit futurum. Hic Gallonius cachinnos extulit. Ego, admirans, quæsivi de illo, quid rideret? Qui, Rideo, inquit, quia non facile est invenire duos mortales, majore inter se odio diffidentes, quam isti sint. vide ut mali dissimulant, ut se amplectuntur, ut pollicentur operas mutuas. alio hic more ac Romæ vivitur, ubi indictæ & apertæ inimicitiæ magis exercentur quam tacitæ & occultæ. hic est frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ. Ac dicturus erat plura de illorum hominum moribus, nisi clamor ingens interpellasset. Quamobrem conversi magnam puerorum aliorumque catervam aspicimus, qui sibilis ac vocibus senem unum sectabantur, pallidum, squalidum, ac pene ab inferis reducem. Clamabat unus; Heus tu? quid apud inferos agitur? suntne ibi popinæ, caupones? num ibi estur ac bibitur? Vociferabatur alter; Cur te noluit Orcus ad se recipere? fortasse ut esset qui pueris in ludum ire recusantibus metum incuteret! rogo te num tibi Pluto apodixim defunctoriam reddidit? Alii; Vtinam dynastæ Alexandro, quem modo Pluto surripuit, hoc quasi postliminio ad nos redire contingeret! at hoc est optare, quã sperare facilius. ô factum male! hic, quem æquum erat in tenebris esse, ad aspiciendum solem revocatur; ille, qui, ob summum vitæ splendorem, clarissimum patriæ suæ lumen extiterat, communis lucis usura privatur. At nos, rei totius ignari, sciscitamur, quænam hæc fabula sit. Eorum unus, qui in jaciendis ridiculis ceteris argutior videbatur, Audite, inquit, rem ridiculam. Hic qui tanto comitatu domum reducitur, elatus est pro mortuo, vivusque in conditorio depositus; ubi sine cibo triduum jacuit. Quibus auditis, horruimus, ac majore etiam exarsimus cupiditate audiendi. Qui fecit huic nostræ cupiditati satis. Sed antequam, inquit, ad rem aggrediar, necesse est, ut, quid hic hominis sit, vobis aperiam. Hoc, quem nunc videtis placidum, demissum, quietum, non est truculentior quisquam, neque flagitiis onustior; quamvis, deflexu

ætatis,

ætatis, non parum de solita sua ferocitate & impotentia remiserit. nam antea, supra quam dici potest, erat intemperans, iracundus, ebriosus, elatus, popino, manu & lingua promptus, in nocturnis bacchationibus princeps, in cædendis verberandisque hominibus dux aliis & magister, in excitanda turba ac seditione movenda prope singularis; in diris vero execrationibus nulla de causa in deos immortales jaciendis cuivis longe superior. At si ex factis præsertim judicare de hominũ ingeniis licet, vel ex hoc uno ejus facinore, quo loco ac numero habendus sit, existimate. Cum juvenis ad Pultiphagos venisset, homines barbaros atque à nostris moribus sane remotos, in quodam eorum pago deprehensus, interrogatusque quisnam esset; Malum, inquit, quod vobis dii dent magnum & maturum, nebulones, sycophantæ, latrones: quid ea res ad vos attinet? ite hinc in maximam malam crucem. Barbari tametsi non intelligerent, quæ ab eo dicerentur, tamen ex habitu oris, ex oculorum conjectu, ex vi, qua se eximere ex illorum vinculis conabatur, rati sibi ab eo maledici, statuunt de communi sententia eidem caput uno ictu præcidere. At videte imperterritum hominis animum. cum inter ipsorum tela versaretur, cum ad mortem raperetur, cum etiam collo suo ferrum imminere, cum se vulnerari sentiret; Agite, clamabat, impuri, latrones, carnifices; vos ego ulciscar probe, si vivam. Verum cum eorum unus, qui hoc sibi sumpserat, ut uno ictu securis caput illi à cervice repelleret, id, quod conatus erat, non perfecisset, graviter in collo vulneratum & ad terram abjectum reliquit. At ille, quod robustissima valetudine est, ex eo vulnere brevi convaluit. Tanta igitur accepta injuria, homo iracundus de referenda hominibus sacrilegis gratia sedulo cogitare, in varias cogitationes animum rapere, nullam partem quietis accipere. Sed cum jam pulchre omnia in corde instructa consilia haberet, alacris castra movit, atque ad suos hostes ire perrexit. Genus animadversionis cognoscite; & simul admiramini, tantum in uno homine fuisse animi ad audaciam. Nocte quadam intempesta usus opportunitate ventorum, subjecto paucis quibusdam casis igne, totum fere illum

pagum antea incendit, quam quisquam animadvertere aut animum recipere posset. ipse autem noctis beneficio occultatus in hanc urbem incolumis venit. ubi primum à dynasta Palladio in numerum suorum circumpedum receptus est; tum ab aliis deinceps dynastis pluribus. Sed demum homo inconstans ac levis, aulicam vitam pertæsus, ad uxorem habendam animum appulit. ne multa; Muliercula quadam ducta, locat virginibus Vestalibus operas suas. Scitis cujusmodi sit mulierum genus, varium, morosum, superstitiosum, difficile. Ita eum bonæ illæ virgines exercebant, ut ne minimum quidem tempus, quietum esse paterentur: neque hibernis mensibus dies aliquis tam magna ac turbulenta tempestate erat, quin bis eundem in hortos Placidianos, qui millia quatuor absunt ab Vrbe, ad dynastam, in cujus patrocinio latent, ire compellerent. Quapropter, multorum mensium morbo ex frigore & labore contracto, denique, medicorum sententia, desperare de salute sua jubetur. Ille ridere ac medicos insanire dicere. se enim tum ipsis, tum liberis suis superstitem fore. At, dum his vocibus dicta medicorum eludit, linqui animo visus est, atque interclusus spiritus ita artè meare, ut omnem plane sensum effugeret. Omnia, quæ solent esse in mortuis, signa aderant, pallor oris, corporis totius rigor, nullus sensus. Ergo, tanquam mortuo, funus curatur ab uxore. cui nihil longius videbatur, quam dum cadaver illud domo efferretur. nam sæpe, ob impotentiam viri, non solum appellabatur superbius, verum etiam pulsabatur acerbius. tamen, ne in sermonem hominum vituperationemque veniret, non solum lacrimis, sed etiam sumptu, ut pauperculæ mulieris facultates ferunt, opinione sua extinctum supremo mandavit officio. Advocatis igitur Libitinariis, mortuus effertur, in conditorio collocatur, ostium conditorii præcluditur. Vix dies unus intercesserat, ab eo die ex quo fuerat sepultura affectus, cum interclusa anima ad vitæ officia rediit; experrectusque, non una amplius nocte se cum uxore sua cubasse existimavit; elatoque paululum capite, veniens ab ostio conditorii, non bene præclusi, tenue nescio quod lumen accepit, ac, leviter cubito recens ibi positum

situm mulieris cujusdam cadaver impellens, Heus, inquit, Milphidippa, (nam id uxori ipsius est nomen,) surge, atque aperi fenestram. Cui nihil Milphidippa respondit. Tum iterum, Heus, inquit, erisne hodie evigilatura? jam hora sumendæ potionis à medico indicta præteriit. Sed surdo fabulam narrabat. Quamobrem commotus, Quid est hoc? ait. numne ad mortuos loquor? At fœminam vide; antea, cum valebam, semper ante lucem experrecta mihi somnum excutiebat; nunc, cum nihil opus est somno, in eo tota defigitur. Sed cum lectulus ille solito sibi durior videretur, conatus est in alterum latus procumbere, ubi alterum hominis mortui cadaver offendit. quod quempiam uxoris suæ mœchum esse suspicatus, Facinus indignum! exclamat. pessima ista mihi ante oculos, atque adeo in eundem lectum, amatorem suum adduxit; quid faceret, si me extinctum sepulchrum aliquod tegeret? & quo me turpius irrideat, simulat dormire. Elatusque iracundia, Mox, inquit, experiar, an suscitare te possim. Arreptoque altero ejus crure, cœpit eam hac illac impellere. Sed vix crus illud in manus sumpsit, cum à reliquo corpore totum avellit atq; distraxit. quo facto, teterrimi odoris fœditate percussus, plane vehementer exhorruit: quocirca manibus explorans quærensque, quæ circa se essent, diligentius, neque aliud nisi tabularum frusta atq; ossa mortuorum attingens, tum demum agnovit, quorum consederit arvis. atque, O me miserum! inquit. sepultus sum vivus. aperite aliquis conditorium istud actutum.

Sed miser ignaras nequidquam hæc dixit ad auras,
Quæ nullas audire queunt nec reddere voces.

Verum, sive deus aliquis eum respexit, sive casus adjuvit, in diebus paucis, quibus hæc acta sunt, bajulus quidam moritur, atq; in illud idem conditorium infertur: sed, aperto à vespillonibus ostio, clamare, qui intus erat, cœpit, Afferte mihi prandium. nam tertium jam diem sine alimento traho. Ad quam vocem exterriti tum vespillones, tum libitinarii, tum pollinctores, abjectis cereis, relictoque cadavere, fugæ quantum potest sese mandarunt. Non cessabat ille majore vocis impetu, ut inde extraheretur, clamare, atque, Vbinam gentium, inquit sumus?

Quod genus hoc hominum, quæ gens tam barbara morem
Exercet? vivi prohibentur munere lucis?

Vel miser hic bajulus fortasse invitavit sese in popina plusculum: quamobrem in somnum delapsus, antea quam crapulam exhalavit, pro mortuo ad sepulcrum abstrahitur. At illi, ubi paululum à timore animum receperunt, revertuntur, & cum eo, tanquam cum infernis monstris prodigiisque, loquuntur. Quibus ille, Luditis me, inquit; ego vivo & esurio. Et cuncta ordine narravit. Qui, habita dicenti fide, extractum inde, & cibo ac potione refectum, domum ad uxorem reducunt. quæ utrum majore admiratione vel odio corripienda sit, in incerto est. nam, illuc isse virum rata, unde negant redire quemquam, alium ex sententiâ sua sponsum sibi delegerat. Hic locus erat interpellandi: Quam, inquam, illa cuperet, ut eodem modo mortuorum hic funera curarentur quo Romæ curantur? ubi eorum corpora ardentem in rogum conjiciuntur. non ædepol nunc illa post funus virum suum domum redeuntem aspiceret. Credo, ait, si hic mos iste vigeret, ipsa rogum incendisset, ac suis virum manibus in ignem intulisset: tum, quo omni plane metu solveretur, collectos cineres in profluentem aliquem conjecisset. atque, quod ejus est in virum odium, audire eam videor se macerare, invenustam dicere, ac tantum ferundis miseriis natam queri. Tum ego, Si, inquam, apud vos mortui reviviscunt, jam nemo sit, quin malit hic pauper vivere, quam alibi regnum obtinere. equidem, quod ad me attinet, non uspiam velim vitam exigere. Qui ait, hoc iis tantum contingere, qui Cocytum nondum transmiserint. nam, qui alteram ejus amnis ripam attigerint, una cum spe redeundi, simul cogi omnem hujus lucis memoriam amittere. His actis, illum cum risu dimisimus: nos ad perlustranda cetera urbis loca perreximus. Sed tandem defessi ambulando, & quia diei fervidissimum tempus cœperat, domum revertimur. Vbi ociosi, quid ageremus, non habebamus. nam neque prandii tempus advenerat, neque prius Gallonio potestas discumbendi dabatur, quam dynastæ ipsius confectum esset prandium, mensæque sublatæ. Itaque minus nobis molestas antemeridianas illas

has illas horas elapsuras existimavimus, si eas cum Gallonio in illius dynastæ aula traduxissemus, ubi facile multa sese oculis atque auribus objecissent, quæ nos cum voluptate aliqua detinerent. Eo igitur imus, procœtonem intramus, in unum ejus angulum soli secedimus. At boni illi familiares, more suo, consumendi ocii causa, ad feriendam uniuscujusque existimationem linguæ gladios exeruerant. Ac primum notæ cujusdam mulieris famam lacerare cœperunt. tum alteri spectatæ sanctitatis viro inveteratam illam probitatis ac fidei opinionem abrogare aggressi sunt. Erat unus ex illis referens memoriter omnium ejus urbis meritricum nomina; atque earum multitudine, quæ erat innumerabilis, ac memoriæ vi, quæ erat incredibilis, Cyrus videbatur, qui lustraret exercitum, ac suo quemque militem nomine appellaret. Alter convivatorem sordidum diris devovebat, quod sturnum pro turdo, vaccinam pro vitulina ipsi in prandiū apposuisset. Sed postquam non erat quem amplius læderent, defessi maledicendo, in dynastam Alexandrum sermonem contulerunt; quem omnium medicorum opinione maturius extinctum affirmabant; præsertim cum neque ætate confecta, atque insuper robusta corporis firmitate esset. Tum quærebant, quemnam Rex amplissimo illi muneri, quo fungebatur, suffecturus esset ex iis, qui tantæ spei imminebant; atque unusquisque, prout ejus studium ex amicitia, vel spe aliqua utilitatis flagrabat, alium alii anteponebat. Sed, dum sermones cædunt, comparet unus in procœtone honesta facie, sed oculis in terram demissis; quem statim omnes adeunt, ambiunt, circumstant, & honorem nescio quem nuper adeptum gratulantur. atque unus præ ceteris amore in eum ac benevolentia prope dilabi ac diffluere videbatur, adeo ut interdum collacrimaret, interdum hæsitaret, tanquam si verba ad declarandam amoris magnitudinem apta non suppeterent. Gallonius mirari, ac sudario risum compescere. qui tandem, ad nos accedens, Non potest, inquit, dici, quos isti mihi cachinnos extorqueant. videtis eum, cui tot gratulationes habentur? hic paucis diebus ante apud nostrum dynastam, multum auctoritate & gratia valebat, adeo ut ejus con-
silio

ſilio & auctoritate domi omnia adminiſtrarentur. quæ illi res magnam invidiam concitavit, multorumque paravit inſidias. quas ille animadvertens, ſatius eſſe duxit ſponte loco decedere, quam cum ignominia moveri. verum, ne tam honorem depoſuiſſe, quam permutaſſe videretur, impetravit à dynaſta in beneficio & gratia aliam provinciam, in ſpeciem quidem honeſtam atque magnificam, ſed, re ipſa, totam nugatoriam ac levem. venit igitur miſer, ut dynaſtæ gratias agat. ſed movet mihi riſum in primis ille, qui ita docte ſimulatione benevolentiæ odium ſuum obtendit. nam hoc homine nemo eſt illi capitalior neque infeſtior inimicus. atque ejus præſertim opera inductus ac depravatus eſt dynaſta invidia atque obtrectatione commodi ac laudis ejuſdem. vide, obſecro, ut malus ſimulat, ut blanditur ſubdole, ut frigidam malitioſe ſuffundit! Interea proſilit unus in medium, atque, Eſt mihi, inquit, in cubiculo œnophorum vini præſtantiſſimi frigidiſſimique, quo nullum hac æſtate dixerim me guſtaſſe ſuavius. flos vini eſt, Liberi lepos, atque una opera palatum vellit ac mulcet. Opportune, ait alter. nam ex quo ſurrexi, nondum villi quidquam exhauſi; &, quod diei tempus ſit, vides. Mihi quoque, ſubdidit alius, ſiccæ ſiti fauces arent; quas niſi propero vino conſpergere, in pulverem abeant. Apprehenſaque Gallonii dextera, Sitim, inquit, ſedatum eamus. Etenim te ea etiam enectum aſpicio; & ſimul experiamur an vera ſint, iſte quæ memorat. Gallonius morem gerit; ſequitur, & nos una quoque. Itaque omnes in cubiculum illius irruunt, œnophoro vim afferunt, atque uno pene hauſtu omnem animam intercipiunt. Erat ibi olla ad ignem appoſita, agninis carnibus plena, nondum ſatis excoctis. has eorum unus ex aula diripit, in patinam infert, atque etiam tum fervidas aufert in ventrem. alter fruſtulatim panem in patina ſecat, ſupra jus injicit, caſeum minute conciſum aſpergit, piper addit, devorat. At ille, qui vinum laudaverat, facti pœnitens, quia prandium ſuum diripi videbat, Quandoquidem, inquit, rogum incendimus, cur non etiam hunc diem ferme ad umbilicum mortuum in eo comburimus, ac læti prandemus? Sic agamus, inquit ille qui

qui panem ex jure vorabat; Iubeat unusquisque afferri quæ sibi in prandium paraverat, & in commune conferri. Placuit omnibus ratio. At, Ego commeatum, inquit Gallonius, spondeo, quod satis sit mihi atque istis duobus hospitibus meis. Affert interea rumor, dynastam prandium poscere. Ad quam vocem Gallonius excitatus accurrit; quæque opus sunt, parat; neque ita multo post revertitur, plenus reliquiarum. Etenim dynasta, quia crudior erat, nihil præter jusculum degustaverat, cetera intacta reliquerat. Quo viso mirabiliter sunt animi convivarum recreati, & unusquisque deos rogabat, ut, quoties sibi cum Gallonio discumbendum esset, dynasta crudus existeret. His dictis, omnes cum risu soleas ponunt, lectos inscendunt. Qui risus duplicatur interventu cujusdam litterati, quem pridie inter academicos illos me vidisse memineram. hunc esse ajebant philosophum summum, oratorem egregium, quique auderet in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire. Sed hominem voluptarium & conviviis flagitiisque deditum conclamant omnes, ut adeat, soleas exuat, discumbat. Qui non patitur diu se rogari, sed statim ascendit, ac summus accumbit. Itaque hilariter estur, bibitur. Sed, ubi saburrati recte sunt omnes, inducitur sermo de mulieribus ejus civitatis, quas, paucis exceptis, criminibus avaritiæ impudicitiæque coarguunt. At ego, ne mutus viderer, Ex omnibus, inquam, orbis terræ matronis nullas arbitror Romanis castitate pudicitiaque anteire: plenæ sunt omnes historiæ, plena antiquitatis memoria. Tum Philosophus ille, qui hos sermones lacessiverat, Tu mihi videris, inquit, in historiis Romanorum sane rudis atque hospes, qui non legisti, quid Salustius, Romanæ princeps historiæ, de Fulvia, de Sempronia, ac de multis ejus ævi mulieribus scriptum reliquerit. vel, si hæc non noris, ne ad aures quidem tuas pervenere quæ super ea re Horatius Romanæ fidicen lyræ cecinerit? cujus ego versus possum tibi recitare memoriter.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artubus

Iam

Iam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur ungui.
Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis.
Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emptor.

Potuitne magis diserte projectos mulierum Romanarum ad omnem libidinem & intemperantiam mores exprimere? Tum ego, deprehensus, quemadmodum me expedirem non inveniebam. sed, quo aliquid responderem, Quid ais, inquam, de Lucretia? nonne omnium pudicarum coryphæa dici jure optimo potest; quæ Tarquinii injuriam ita in se graviter animadvertit? quid potuit facere elegantius mulier cupida existimationis bonæ, quam ereptæ sibi pudicitiæ dolorem voluntaria morte testari? tanquam si nulla ea vita sit, quæ à pudicitia spiritum non ducat. Longe alia mea est opinio de Lucretia, inquit ille, atque ea, quæ in animis omnium inveteravit. ego enim nullam illi virtutem, nullam continentiæ laudem assigno, nam à Tarquinio oppressa, vel consensit stupro, vel non. si consensit; immerito principem inter pudicas locum usurpat. si non consensit; cur maluit violata sibi necem afferre, quam intacta à Tarquinio necari? Fortasse inquies; quo se pudicitiamque suam existimationi hominum vindicaret. nam si statim Tarquinio jugulum præbuisset, ideo ab eo interempta putaretur, quod cum servo adulterium commisisset. ergo erat aliquid, quod sibi magis cordi esset, quam pudicitia; nempe hominum existimatio. nam, si sola virtute duceretur, quæ, præter conscientiam, nullius prætereà testimonium desiderat, quid de se homines loquerentur, non admodum laborasset: at si ad intimum hujus facti cubile penetremus, ab hoc suspicionis aditu, januaque patefacta, aliquod fortasse latens in eo crimen inveniemus. quomodo enim Tarquinius potuit, concubia nocte, penetrare in cubiculum mulieris, multis,

ut sit verisimile, pessulis clausum? quomodo custodes mulieris fallere? cur à Tarquinio oppressa non exclamavit? ita enim familia tota accurrisset, ac scelerosus ille vel incœpto destitisset, vel, si Lucretiam reluctantem enecasset, multos sceleris sui, multos pudicitiæ illius testes fecisset. Nullum fecisset finem dicendi Philosophus multo Liberi flore completus, nisi exorta inter convivas turba dicentem interpellasset. Erat unus in iis, ut postea animadvertimus, ejus notæ hominum, qui cibum è flamma præripiunt. hic precibus extorserat, ut in illum gregem admitteretur. sed vix lectum conscenderat, cum cœpit ad omnes patinas procaces manus extendere, atque lectissimos ex iis bolos excerpere, tanquam si sibi soli prandium illud esset appositum. Ecce autem, primis escis assumptis, gallina Indica magno in catino porrecta succenturiatur, iis condita condimentis, ut nidore suo non latentem modo famem evocaret, verum etiam demortuam excitaret. homo æquissimus, tanquam si de ea captus esset judex, accito puero, quem suis imperiis præsto habebat ad januam, indicta causa, obvoluto eam capite domum suam auferri in exilium jubet, atque antea se exulem insons aspexit quam posset de defensione cogitare. quo viso, ceteri convivæ mirari, inter se aspicere, atque ad ejus impudentiam, sine voce, ac sine ullo sensu, hærere. sed hilaritas, quæ præoccupaverat mentes, nullum dabat iracundię locum, sed omnes, dissimulato dolore, in suscepta festivitate perseveravere. Iam convivium properabat ad exitum, cum testuacea placenta, in repositorio collocata, tanquam in exodium prandii proponitur. Vt ille, qui gallinam Indicam, aliam capere civitatem jusserat, advenientem eam aspexit, fecit ingenium suum, atque illi miseræ imperat, ut domum suam in exilium eat, ac vestigiis iisdem gallinam Indicam sequatur. præsto adest puer, qui obtorta gula eam abripiat. Tum vero victa est convivarum patientia; & simul omnes, Enimvero hoc non est ferendum, exclamant. Sed cerebrosior unus. Nunquam hodie, me vivo, hæc placenta mutabit coloniam. Abreptamque ad se cœpit attrahere; ille retrahere, ac, vim sibi fieri, dicere. Verum omnium minis perterritus, eorumque,

qui

qui ipsi assidebant, objurgationibus correptus, se demum ab incepto removit, & in cubitum reposuit. Confecto prandio, unus ex convivis, cui alea vita erat, talos poscit, ac Philosophum in aleam provocat. Nos, cum somnus invaderet, surreximus, atque in domum Gallonii perreximus. ubi pomeridianum illud tempus partim legendo, partim quiescendo transmisimus. Sed, cum jam calor remisisset, Eundum est nobis, inquit Gallonius, in ædem Daphnes, quo universus hic populus hodie conveniet. nam inde nobilissimus ille dynasta extinctus, magnificentissimo funere efferetur in ædem à se ædificatam, ut sepulturæ mandetur. nam mos hic est, defunctos in ædibus deorum humare. At ego, Duc nos, inquam, eo. nam nihil est, quod magis visendum existimemus. Ne multa; domo egressi ad ædem Æsculapii venimus. quam magna refertam turba videmus. intramus; atque inter cereos quatuor positum adolescentis cadaver aspicimus. Rogat Gallonius, quisnam sit ille mortuus? quidve illi ad eum concursus velint. Respondetur, eum esse Philotam quendam, cujus amore duæ illæ mulieres adolescentes paucis diebus ante interiissent. nam eundem, earum intellecta morte, animum despondisse, ex eaque ægritudine in eo nosocomio vita migrasse. Quæro ex Gallonio, quem ille Philotam, quas mulieres narret? Qui, Res, inquit, digna est auditu; sed eam plane ita uti se habet explicare non possum. Ego, ait unus, vobis narrabo, si causa est cur audiatis; atque in verba conferam quam paucissima. At ego, Narra nobis, inquio; nec verbis parce. nam rem gratissimam feceris. Quamobrem ille sic exorsus est.

In oppido quodam insulæ, huic regno finitimæ, ubi Theridates rex summa cum laude justitiæ Rempublicam gerit, virgo erat nubilis, Olinda nomine, genere & copiis haud quidem summis, sed vultu adeo eleganti, adeo venusto, ut oculos in se omnium alliceret. sed in primis Philotæ, ejus civitatis longe primi, ita ad se animum attraxit, ut vitam illi miseram & insuavem efficeret. Cum igitur amore ac mœrore miser contabesceret, fecit id quod cuivis venisset in mentem, ut parentem virginis societate amicitiaque sibi conjungeret. in quo

fuit

fuit felix. nam totum hominem brevi possedit. Verum cum ejus domum ventitaret, atque oculis, vultu, voce denique ipsa, amorem virgini suum significaret, parem in ea voluntatem ardoremque, id quod raro contingit, invenit. Itaque, usi licentia, quam ejus regionis mos tribuit, non cessabant inter se amplexari oscularique. Sed cum eorum oscula modum excederent, cœperunt esse suspecta parentibus Olindæ, cupidis in primis existimationis bonæ. Quamobrem, ab homine nobili, atque id ætatis, pudicitiæ filię non parum metuentes, aliquo eam præsidio munire constituunt. Sed, cum nullum sit tam firmum præsidium, quod non longa obsidione demum hostis expugnet, consuetudinem filiæ cum adolescente dirimere statuunt, eumque domi suæ finibus, quantum potest, expellere. Ne multa; adolescentem adeunt; quid de ejus amore compertum habeant, edocent; ostendunt, quam perniciosum futurum sit filiæ, si propter ipsum in sermonem hominum veniat; orant, obsecrant, ne tantam illi infamiam creet, sed ejus conspectum, atque adeo totam illam domum effugiat. Respondet adolescens, nullum se voluisse virgini dedecus, nullam ipsius contumeliam imponere; jam inde ab initio conjugium animo concepisse; hac nuptiarum fiducia, multa sibi persuasa habuisse. rogat, instat, ut eam uxorem sibi despondeant. Illi, non æquam esse suam factionem cum factione illius, ostendunt. se modicis opibus ac mediocri nobilitate esse; illum summis opibus ac summo genere natum. rem esse periculosam, repente ab asinis, ut dicitur, ad boves ascendere. proinde aliam sibi conditionem, alias nuptias quæreret. Postremo, cum magis exoraret, ita Philotas ab eis discedit, ut qui rem etiam atque etiam consideraturos, & cum parentibus ipsius sermocinaturos affirment. Non procrastinant; Philotæ parentes adeunt, rem narrant. Illi gratias agunt: consilium dant, ut Olindæ sponsum quamprimum inveniant. Sunt omnes ejus regionis ad subita & repentina consilia propensi. Itaque parentes Olindæ statim illi virum inveniunt, adolescentem quidem nobilem, sed nihil ad Philotam. Nuptiæ statim fiunt, aguntur omnia raptim atque turbate. Verum tam præceps

consilium adeo impendentem vim malorum ab Olindæ peste non repulit, ut in eam etiam celerius attraxerit. Nam eo connubio mutuus ille inter Olindam & Philotam amor nihilo remissior est factus. atque omnibus horis Philotas ante ædes Olindæ conspiciebatur, non sine viciniæ atque adeo gravi ipsius viri offensione. qui per amicos Philotam admonendum curavit, ut, nisi malam rem quæreret, eas regiones prorsus effugeret. Erat in Philota, ut in plerisque nobilium, contemptor animus & superbia; ergo negligere, ac pergere, illac progredi. Hac insolentia permotus vir Olindæ, die quadam, transeuntem eum, neque dum tale aliquid suspicantem, lato gladio cædit, & in fugam conjicit. Nolite quærere, quantas hæc tam insignis injuria homini iracundo & in primis elato faces admoverit. amenti similis domum accurrit, gladium arripit, revertitur, inimicum suum etiam tum in ostio stantem aggreditur, eundemque fortissime dimicantem sub oculis suæ Olindæ transverberat. Res illico in judicium adducitur; adolescens tota insula conquiritur; sed ille jam evolarat, atque huc recta contenderat. At judex quæstionis, impulsu affinium, clamantium Olindam fuisse illi cædi caput, eam abripi & in carcerem condi imperat. ergo misera è complexu parentum ad tribunal judicis, è geniali thoro, in carcerem rapitur. Sed vix intro in carcerem pedem tulit, cum ad alterum eam saxum nova tempestas afflixit. Etenim non in misericodiam modo prolapsus est custodis carcerum animus, sed amore vinctæ exarsit. Noctu ad mulierem adit; ut sibi morigera sit, rogat; eam se ducturum uxorem domum affirmat; dexteram in id, quod spondebat, obligandæ fidei causa, præbet. Respondet illa, non esse tum ei rei locum; neque decere miseram, sordidatam, in judicium capitis adductam, ac de vinculis dicere causam coactam, prope funestas nuptias facere; expectaret dum è vinculis eximeretur. His sermonibus ægre ab ea homo ille repellitur. Sed, cum cupido magis instaret, ab amore seu potius à furore consilium mutuatur. Equum comparat, zonam cum viatico sumit, seque fugæ cum Olinda committit. Vbi in quandam silvam ventum est, custos carceris, cui nihil

longius

longius videbatur quam dum in Olindæ complexum irrueret, simulata lassitudine, ex equo descendit, seque in eam cupide rejicit. Illa eum à se repellere, neque adhuc se esse liberam dicere. Ille orare ut sibi subveniret, ut ferret morienti auxilium; multaque id genus addere; sed nihil proficere. Facinus minari; tantundem. Vbi eam videt nihilo magis minis quam precibus permoveri, ad vim confugit, atque extorquere ab ea complexum nititur. Illa repugnat, unguibus ac dentibus petit. Sed iniqua concertatio, quæ cum valentiore suscipitur. Iam nulla ad resistendum ratio supererat, jam prope erat ut succumberet, cum nova res victoriam illi certissimam attulit, & pudicitiam in tuto constituit. Dum luctat, animadvertit homini pugionem in zona pendere. Tum alacris, furtim eductum, ejus lateri, quantum potest, infigit; seque ita ambitiosissimis odiosi illius amplexibus expedit. Iam vero quid faciat? quid consilii capiat? sola est, mulier, adolescentula; nullus neque amicus, neque comes; loca aspera, deserta, devia. Non despondet animum, non abjicit; verum ad superius, alterum virilis audaciæ facinus addit. Muliebre vestimentum exuit; virile ex misero illo detractum induit, marsupium eripit, equum conscendit, atque amatorem suum, ubiubi ille sit, invenire constituit. Sed ad tantum iter viaticata admodum æstive erat. Etenim nondum ex insula pedem extulerat, cum pauxillulum illud nummorum, quod invenerat in marsupio, consumpserat, insuper equum vendiderat. Quamobrem fuit illi necesse homini cuidam nobili operas suas pro ephebo locare. Ecce autem novas tricas, nova incommoda. Erat illi filia virgo nubilis, forma non mala. cujus ad oculos simul ac recens ephebi pulchritudo pervenit, tantum etiam cordi confecit ardoris quantum maximum capere pectus virginis potest. sed illa nihil amabat; fumum atque umbram persequebatur. At primo amorem suum ephebo oculis, vultu significare. Olinda, in amoribus longe robustioribus occupata, non animadvertere. Tum illa, adolescentem existimans in amore rudem ac tardum, voce exponere, quod vultu intelligeret minus, atque orare, ut sibi

ſuppetias laboranti ſufferret. Olinda, quæ ſibi eſſet conſcia auxilium quod expetebatur apud ſe non inveniri, riſu dicta virginis excipere. Illa, ſe illudi exiſtimans, Quid eſt, inquit, quod rides? num propterea tibi deridiculo ſum, quia pereo? ah ne ſævi tantopere. Tum Olinda, Ubi, inquit, me noveris, continuo omnis de me amor effluxerit, & amori odium ſucceſſerit. Sed obſecro, ſi quid amas, ne patri, neque cuiquam mortalium, indicium facias. mihi non magis virilis ſexus ineſt, quam matri tuæ, quam tibi. in manu tua eſt, quod minus credis, experiri. At, ſi, quid iſtuc ornati ſit, quæris, dicam; Amor me, & capitis periculum, in has veſtes conjecit, ac virum mentiri coëgit. Ac protinus, unde eſſet, quem amaret, quem occidiſſet, quo tenderet, cuncta ordine narravit. Poſtremo orare cœpit, ut auxilium ſibi nummarium, cujus eſſet in primis egens, afferret; hoc eſt, ut ſe viatico juvaret huc properantem. Quid? exiſtimatiſne, eam, hac re tam inopinata percuſſam, ſpem vel amorem animo abjeciſſe? nihil minus; imo utrumque conſtantiſſime tenuit. credo, quod in fabulis legiſſet, vel ex aliqua anicula audiſſet, olim nonnullam ex fœmina in virum fuiſſe converſam: exiſtimabat, idem illi, quam amabat, poſſe contingere. Sed attendite, quo progrediatur. In Olindæ complexum ruens, affirmat, ſe ſine ea nunquam unum diem eſſe victuram. Ecquæ mihi vita, inquit, expetenda eſt, ſi à te divellar? nulla quidem certe. bono animo es; mihi certum ac deliberatum eſt, tecum una proficiſci, eandemque fortunam ſubire. Multa dixit Olinda, quo virginem de ſententia dejiceret, ſed laterem lavit. Quid multis moror? auro, argento, aliiſque precioſis rebus convaſatis, poſtridie, cum parens rus iſſet, una cum Olinda huc verſus caſtra movit. Quo celeriter ſecundo anni tempore perveniunt, & ad cauponem ambæ divertunt. Licebat eas cernere virili cultu tota paſſim urbe pervagari, ac formæ præſtantia omnium ad ſe oculos rapere. Quam multos fuiſſe putatis qui eas ſub illo ornatu puellas eſſe contenderent? Sed ejus in primis facies enitebat, quæ amatorem ſuum quæritatum advenerat. Sed jam omnia odoranti inveſtigantique ſuboleverat, eum in hac urbe verſari. Quamobrem,

rem, hisce leviter pressis vestigiis, eum secuta, tandem, proh dolor, invenit jam aliquot dies immersum in ganeo meritrici cuidam operam dare. Ergo dolore amens, Itane, Philota, inquit, prorsus oblitus es mei? ergo frustra tantum laborem, tantam infamiam cepi? dum propter te patria carens impudicæ cujusdam more perambulo; tu interea loci te oblectasti, ac meritricios amores nuptiis præposuisti? Illico despondet animum, morbumque ex ægritudine contrahit. Rem incredibilem; Vbi hæc ægra fit, continuo illa altera ægrotare incipit: huic morbus augescit; fit illi etiam amplior: postremo hæc moritur; mors itidem illam alteram occupat: ambarumque cadavera, eodem die, eodem funere, eodem feretro, in ædem Cupidinis, elata sunt, atque una eademque sepultura affecta, ut, quarum animos amor in vita junxisset, mors distrahere non potuisset, earum corpora unum atque idem sepulchrum haberet. Redeo ad Philotam, qui tantum mali insciens dederat. Qui, simul ac certior est factus, (nam Olinda ferme jam moriens rem omnem narraverat,) continuo exanimatus ad ædes Olindæ contendit, commodum, cum ea jam efferretur; & fusus in lacrymas, Ergo mea voluptas tibi mortis causa fui? nunquam me tantum à te amari intellexi. me miserum, non potuisse me tali ingenio frui! sed itidem de te ægritudo mihi vitam eripiet.. ô præclarum è vita discessum, si in tuo complexu animam efflare licuisset. Atque ibat, ut sese in Olindæ cadaver abjiceret: sed ægre retentus, demum inde pro mortuo in domum amici ac popularis cujusdam sui refertur. sed, cum morbus augesceret, nec satis diligenter curari videretur, idem amicus in hoc nosocomium perferendum curavit, ubi viri nobiles apto in loco victu ac ceteris rebus quam commodissime habentur. verum, propter anni tempus grave, locum multitudine ægrotantium refertum invenerunt. quamobrem tantisper, dum aliquis convalesceret, fuit eum necesse inter plebeculam collocare. homo nobilissimus, ac suæ civitatis primus, cum se inter fæcem urbis conjectum vidisset, tanta vi ægritudinis oppressus est, ut illo ipso die sit mortuus. Hic fuit finis amantium. Itaque, ut videtis,

Durius in terris nihil est, quod vivat, amante;
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.

Excierat nobis lacrymas funestus miserorum amantium casus; atque erat aliquid, quod volebam percontari; sed præripuit eum mihi clamor puerorum, admonentium, appropinquare pompam funeris, quo dynasta mortuus efferebatur. Ad quas voces ille accurrit, & nos etiam cupidos videndi secum attraxit. Erat totum illud agmen instructum hoc modo: Anteibant pueri puellæque, quarum magnus erat numerus, quas illius misericordia sustentabat. sequebantur collegia varia, quæ in ejus tutela latebant. Hos excipiebant candidati complures, qui inflexa ad miserabilem sonum voce diis manibus flebile carmen atque funestum canebant. Tum ad cereos circiter quadringentos efferebatur dynastæ cadaver, in lecto purpura auroque constrato. Funus, honoris gratia, prosequebantur dynastæ ceteri, qui præeuntibus ipsorum familiaribus, ac præterea magno affectatorum numero, bini incedebant. Ordinabant agmen designatores non pauci, stipati lictoribus atratis. Quacunque funus pergeret, personabant viæ fletibus, percrepabat cælum ejusmodi vocibus,

Nunc tempus lacrymas, nunc querimonias,
Et tristi gemitus fundere carmine;
Nunc tempus, nitida veste recondita,
Atrum sumere pallium.
Eheu, præpropero funere concidit,
Sicut flos rapido turbine sternitur,
Ille ingens Alexander, & inclytus
Qua sol surgit & occidit.
Non sic monte super condita prominet
Vrbs, vel fax nitet, ut pectore candido
Illius, probitas, justitia, & fides
Fulsit, nudaque veritas.
O mors, docta prius falce recidere
Indignos obitu, & linquere pessimos,
Tu tantos potuisti fera cernere
Luctus illacrimabilis?
Nec te longa piorum agmina civium
Moverunt, querulis sedula vocibus

Deplo-

Deplorantia, tolli sibi opem suis
Fidam rebus in arduis?
Clamabant alii quis tunicas dabit,
Queis nudo fugiant frigora corpori?
Instabant viduæ, quis pueris patre
Orbis prandia dividet?

Hæc atque alia his similia complura palam de eo prædicabat benevolens populus. Quamobrem omnium consensu tum est judicatum, homini sæpenumero ad gloriam plus prodesse fortunam, quam laborem vel industriam; siquidem vir ille, qui tam faustis vulgi acclamationibus mortuus exciperetur, sine multis litteris, nulla fere rerum gestarum gloria, sola opinione liberalitatis beneficentiæque eum sibi plausum confecisset. Sed inter cætera illud etiam felicitati ipsius tribuebatur, quod in summa rerum omnium abundantia, nondum alteram fortunam expertus, excessisset è vita. Animadvertimus inter perpetuas publici luctus querimonias fratris filii laudes admisceri. hunc vitæ integritate & elegantia, præterea optimarum artium studiis, patrui dignitatem & gloriam antecessurum jactabant. Sed diei tempus admonebat ut de cœna cogitaremus. quocirca Gallonius servum suum obsonatum misit. Interim perductus est ad nos nauclerus quidam, qui perendie à prandio, si ventus operam dedisset, explicaturus erat vela in insulam, ut ajebat, amœnissimam feracissimamque, cujus insulæ cives essent homines quieti, hilares, jucundi, voluptarii, itaque de naulo cum illo convenimus. Postea abire cœpimus ad fontem ibi proximum, calorem discussuri qui membris inhæserat: sed quidam rheda vectus inhibuit. Qui magna voce inquit, O te ipsum Galloni, volebam. quæso, nisi est negocium, paululum da mihi operam. etenim te convento opus est. Vbi libet, inquit Gallonius. tuus sum. At ille proxime ad Gallonium accedens, pauca illi quædam in aurem instillat, rogatque ut dynastæ suo refundat. Postremo interrogat nos, unde veniamus. Respondet Gallonius, Ex æde Daphnes; quo duos istos adolescentes populares meos adduxi, homines nobiles ac literis deditos, qui etiam heri, magna cum voluptate, academicis exercitationibus

interfuerunt. Ille ad nos conversus, Quam vellem, inquit, ibi ante quindecim dies affuissetis! nam elegantibus sane verbis ostendi, solida omnia esse perspicua, terræque elementum ab his inferioribus perductum, ad cælum usque pertendere. Tum petiit à me, si quid in ea audissem elegans atque facetum. Qui, Multa, respondi. sed in primis me mirabiliter delectasse Hieronis ingenium, quod ex culice, nihili bestiola, tantam vim laudum eruisset. deinde egregiam Gallutii adolescentis indolem ad poësin vehementer probasse. Fortasse illud, inquit, carmen recitavit, in quo veris laudes exponit. legi ego illud. nam ejus mihi parens ostendit. Sed quemnam potissimum tibi visus est imitari? Virgilium, arbitror, principem poëtarum. Istuc, ait, in eo mihi displicuit. & sane doleo, celere atque sublime optimi adolescentis ingenium apud Virgilii tarditatem humilitatemque religatum detineri, nec audere se altius attollere. Quid ais? inquio. tibine Virgilius serpere humi videtur? Tibi quoque idem videatur, ait, ubi mea perlegeris. Tum, Tu igitur, inquam, doctior, quam Virgilius? Doctior? inquit. quid est quod ais? sane pudeat me Virgilianis similes versus efficere. &, si imperarem, ex omnibus eum bibliothecis amoverem, nullius ingenii minimæque doctrinæ auctorem. Audi quod ego de eodem argumento conscripsi, atque aude Virgilianam inopiam cum mea beatissima rerum verborumque copia conferre.

Ver ubi constituit brumæ fera bella rigentis
Atque elementorum diras compescere rixas,
Ecce nitens alto vestigia promit Olympo;
Quaque movet gressus, manibus dat lilia plenis;
Atque Deæ nares Zephyrus suspendit odore;
Floribus ac viridi depicta tapetia fronde
Substernit niveis fausto cum murmure plantis.
Tunc elementa, Deæ venientis lumine, ponunt
Arma, suasque petunt, raptim, conterrita sedes;
Invisæque hiemis conclamant vasa; phalanges
Nec segnes audent æquo decernere Marte;
Sed nova diversum comportant bella sub axem.
Illa supercilio jaculatur fulmen amoris,
Deque animis tumidas pugnantum discutit iras.

Ficta

Ficta quibus falsæ succedunt oscula pacis
Et simulatus amor, junctim & concordia mendax,
Quam fera post hyemis tempestas verbere pellat
Frigoris, expulsum revocans in regna furorem.
Interea risus proscribit nubila cæli:
Fulmina nec rigido nec spicula grandinis arcu
Funditat ira Noti; sed divitis aura Favoni
Pragnantis gremium telluris mollibus implet
Guttarum gemmis rutilans, spargitque decore.
Ast ubi læta parit funditque puerpera flores,
Ipsa laboranti Lucinæ munia præstat.
Post lustrat solio residens regina nitenti,
Agmina plantarum totis sibi subdita terris.
Destinat atque igni, renuit quæ ferre tributum
Germinis, & fructus Natura solvere nescit.
Continuo accurrunt omnes in veste virenti;
Atque hæc omniferam festinans curva reductis
Signat humum manibus; caput hæc ad sidera tollit
Velatum ramis, & nubibus oscula figit.
Candidus ut niveis se vestibus inferat, amnis
Ad puri remeans elementi jura nitorem
Induit, in totum peregrina fæce solutus.
Ecce cohors florum vaga prodit ut oscula donet
Grata Deæ manibus, forma quos præterit omnes
Alma rosa, in vultu gestans insigne pudoris.
Sed, dum pulchra ruunt proni ad vestigia Veris
Sirenes nemorum, Cytharistæ ruris amœni
Vinula diffundunt arguto gutture passim
Carmina, quæ sitiens avide dum perbibit auris,
Ebria languidulo decumbit victa sopore.

Dic, bona fide; acceperene unquam aures tuæ quidquam perfectius hoc carmine? sive spiritus magnificentia, sive figuris sententiisque, cum validis tum etiam brevibus atque vibrantibus? vide ut in sensus influit, ut delectat, ut sententiarum numerus prope numerum verborum exæquat! Ego primus elegans hoc scribendi genus inveni, in medium protuli, in morem induxi; ego hanc viam aperui, lustravi, meis vestigiis impressi: quæ qui voluerit persequi, ad nominis æternitatem sine errore perveniet. Sume igitur hoc carmen meo chirographo

ſcriptum, illudque tibi ad poëſin magiſtrum adopta. Dum accipio, & gratias ago, Quid ſi, inquit Gallonius, ejus epiſtolas legeres? profecto, ex Pythagoræ ſententia, diceres, immigraſſe in eum animum Ciceronis, vel ejuſdem eloquentiam hæreditate ad eum perveniſſe. His auditis, ſane commotus eſt totus, ac, Facis mihi, inquit, injuriam. nam pluris eſt una aut altera ſcriptionis cujuſvis meæ linea, quam centum Ciceronis epiſtolæ. Quid eſt, dii boni, in eo oratore, niſi incitatus verborum curſus, ac ſine ſanguine ac nervis flacceſcens oratio. Plura dicturum in Ciceronem, rediens à funere Alexandri dynaſta quidam inhibuit; qui rheda exceptum ab oculis noſtris abduxit. Quæro poſtea ex Gallonio, num ſit aliquis cui eo homine eſſet opus ſalvo. Quamobrem? rogat. Quia, inquam, inſanit. Nec mora; ad fontem ibi large manantem accedimus. Vbi oppreſſi ſumus à philoſopho illo, qui in prandio mulieres fere omnes impudicitia notaverat. Quo perfecto, innuit nobis Gallonius, ut regrederemur, atque odium illud effugeremus. Sed antevertit conſilium noſtrum Philoſophi ſagacitas. nam me prehenſum pallio retinuit, &, Quo, inquit, properas? Mane, obſecro. nam cupio perpetuum amicitiæ fœdus tecum inire, quem hodie, ex diſputatione habita, non alienum à litteris comperi. Arreptaque mihi manu, Cum noveris, inquit, nos, cunctis hominibus doctis antepones. nam ſi juratus meliorem rhetorem vel doctiorem philoſophum quæreres, præter me non alium adduceres. ita ego ſum magiſter ſolus præter ceteros. etenim non item diſcipulos doceo, ut alii doctores faciunt, qui eos, quos erudiunt, conſeneſcere in ſcholis jubent; ſed longe breviore methodo ac via ad ſummum Philoſophiæ culmen adduco. ego primus hanc viam inveni, &, ſi non piget calcare, me tibi in ea comitem ducemque profiteor. Sed non prius tibi dabitur hinc abeundi poteſtas, quam aliquod ingenii mei ſpecimen capias. Et, quoniam cum hiſtoricis & oratoribus tibi magis rem eſſe animadverti, quam cum alterius artis magiſtris; Rhetoricæ totius formam in tabulis expreſſam dabo, quibus, in memoria tanquam in pariete defixis, unico aſpectu omnia ſeſe offerent quæ

in

in ea arte traduntur. Parce ſodes, inquit Gallonius; ne te defatiges; neque præterquam, quas ipſe calor moleſtias habet, adjicias. Nunquam perficies, ait ille, quin hujus ſtudiis conſulam hodie. Ego, quoniam aliter fieri non poterat, porrecto jugulo, me illi conficiendum trado. Ergo incipit, In prima tabula Rhetorices definitio primum explicatur; quæ eſt, Facultas videndi quid in unaquaque re ſit perſuaſibile. Deinde ejus officium oſtenditur; quod eſt, Dicere apposite ad perſuadendum. Tertio cauſæ ejuſdem explicantur. Primum efficiens. Quæ conſtat inventione atque doctrina. Inventio eſt notatio & animadverſio naturæ. Quæ natura nihil eſt aliud niſi innata ingenii aptitudo ad dicendum. Doctrina vero artem & exercitationem includit. Et eſt ars, præceptio, methodum dicendi præſtans. Exercitatio, aſſiduus uſus conſuetudoque dicendi. Deinde finis; qui eſt, Perſuadere dictione. Tertio materia; quæ eſt hypotheſis ſeu cauſa, quæ definitur, eſſe rei alicujus implicita circumſtantiis quæſtio. Poſtremo hæc tabula triplici genere cauſarum deſcripto concluditur; videlicet demonſtrativo, judiciali, ac deliberativo. Demonſtrativum rei laudem vel vituperationem continet; nempe amplificationem rerum bonarum vel malarum, quas rei ineſſe contendimus. ejus finis eſt honeſtas vel turpitudo. ſcopus, delectatio auditorum. tempus, præſens. Iudiciale poſitum eſt in controverſia; atque habet in ſe intentionem cum defenſione. ejus finis eſt, juſtum & injuſtum. ſcopus, vel modus, judicis clementia aut ſævitia. tempus, præteritum. Præterea judicia omnia vel ſunt criminis, vel controverſiæ. Criminis oratio duplex: categoria; quæ crimen objicit: apologia; quæ diluit. Controverſiæ itidem oratio duplex; petitio; qua aliquid poſtulatur: recuſatio; qua deberi negatur. Sequitur genus deliberativum. quod poſitum in conſultatione habet in ſe dictionem ſententiæ. ejus finis eſt, utile & inutile. ſcopus, deliberantis ſpes, metus. tempus, futurum. partes, ſuaſio, quæ, quid faciendum ſit, docet; & recuſatio, quæ contrarium defendit. Hæc igitur eſt prima tabula. in qua Rhetorices conſtitutio non minus ad veritatem exprimitur, quam

ſi eſſet

si esset Apellis vel Zeuxidis manu depicta. Convertite nunc animum ad alteram tabulam, quæ partes & officia oratoris pene oculis subjicit. Tum vero victa est Gallonii patientia, ac, Mane, inquit, cogito te perendie ad cœnam invitare; ibi ociosius cupio tabulas, quas narras, aspicere. nam earum pulchritudo ad contemplandum non brevem aliquam moram, sed longum tempus efflagitat; quod dies jam plane demortuus denegat; & tu scis occupationes meas. Philosophus audito cœnæ nomine, frontem expromsit, hilarique voce, Ego quoque, ait, idem censeo. ego domi tuæ, magno istius cum lucro, ingenii mei divitias proferam; atque eadem opera, quæ dixi, quæque dicturus sum, aliquot in chartulis, velut in tabulis, descripta proponam. &, si mihi iste ad discendum se tradiderit, unico fere mense, Logicæ, Physicæ, Metaphysicæque notitiam, non nævo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni percipiet. earum ille imagines pluribus in tabulis descriptas, si cubiculi sui parietibus affixerit, quasi pinacothecam quandam instruxerit, longe iis elegantiorem, in quibus Polydæti, Zeuxidis, Protogenis, & Parrhasii manus adorantur. Ego, collaudata illius doctrina, Gallonium abeuntem subsequor. Qui inquit, Nisi de cœna mentio esset injecta, nunquam hodie hirudo ista nos dimisisset. Sed vidistine, obsecro, hominem magis ineptum, qui quocumque in loco, quoscumque inter homines libitum sit, de rebus gravissimis argutissime disputet? Ego tot delirantium somniis enectus, Quæso, inquã, Galloni, amoveamus nos hinc ocius, ne alius quispiam stultus odio suo nos plane conficiat. nam diis iratis nostris huc venimus. Tace sis, inepte, inquit Gallonius; tanquam si Romæ hujus generis stultorum multo majorem numerum invenire non liceat! Vera dicis, inquam, neque aliud quidquam habeo quod dicam, nisi, quod nemo sine vitiis nascitur, ac cum perfectis non vivitur. Hæc atque alia commemorantes, domũ nos tandem recepimus. Vbi eum servum, quem Gallonius in macellum præmiserat, non solum obsonatu rediisse, verum etiam coxisse cœnã invenimus. Qua hilare comesa, post multos variosque sermones, lecto nos dedimus, totosque quieti somnoque in auroram usque tradidimus.

L I-

LIBER V.



POSTRIDIE mane, cum neceſſitas nulla urgeret mature ſurgendi, in multam lucem ſomnum produximus. Sed cum diei tempus, atque hiræ latrantes, cibum expoſcerent; ſubuculam, thoracem, femoralia, ac tibialia popoſcimus. Quibus indutis, Cogito, inquit Gallonius, poſtquam meus dynaſta à menſa ſurrexerit, ducere vos in buleuterium. delectabit enim, ſigna pulcherrima ex ære, vel marmore, tabulas pictas, ſummorum artificum manu confectas, aſpicere. nam commune hoc, ad ſenatus habendos, ad magiſtratus creandos alendoſque, ædes ampliſſimas habet, multis ejuſmodi rebus refertas. Ibi Poliarchi (id enim magiſtratui illi nomen eſt) cauſas eorum cognoſcunt ac judicant qui in id forum conveniunt. nam olim, antequam hæc Reſpublica in poteſtate ac moderatione dynaſtarum verteretur, ad Populi arbitrium judiciumque ſumma omnium rerum conſiliorumque redibat; in eo ſumma poteſtas, ſumma auctoritas erat. ſed poſt attritas civilibus diſcordiis opes, cum ſe dynaſtis permiſiſſet, ne omnino ſpoliatus imperio videretur, rerum quarundam adminiſtrationem ſibi retinuit: videlicet dat operam ut ab emptionibus ac venditionibus, edulſorum præſertim, fraudes amoveantur; nimirum ut eadem ad menſuram pondusve reſpondeant. itaque Poliarchi ſingulis fere rebus precia conſtituunt; numerum vel pondus aſſignant; &, ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi res pluris vendita, ſi ſit ejus ponderi, videlicet aſſi, uncia vel ſextans ereptus, iidem diſcernunt, mulctas pœnaſque conſtituunt. atqui ad perquirendas fraudes certos quoſdam conſtitutos habent, qui quotidie mane lanienas, thermopolia, ac fora circumeunt; &, quoſcunque carnes, vina, piſces, ſuccidiam vel quid ejuſmodi ferentes offendunt, ſiſtunt; rogant, unde emerint, quanti; ac ſtatera, quam ad eum uſum ferunt, examinant, vel hemina metiuntur: ac, ſi res emptas ad menſuram pondusve non reſpon-

reſpondere comperiunt, venditorem cogunt id quod fraudaverit reddere; ejuſque nomen ad Poliarchos deferunt; qui, habita deferentibus fide, abſque alia probatione, reum vel pecunia multant, vel aliqua corporis pœna coërcent. quamobrem olim id muneris optimo cuique locupletiſſimoque dabatur, quo ejus teſtimonio credi poſſet, neque eſſet aliqua acceptæ pecuniæ ſuſpicio: ſed ita nunc mos viget, ut fere egentiſſimus quiſque ab iis, qui ſummam habent auctoritatem in hac Republica, in hunc locum attrahatur. quo fit, ut fures manifeſtarii, fractis legum ac judiciorum laqueis, quibus obſtricti tenentur, parva ſæpe pecunia meritas pœnas effugiant. Tum ego; Nihil eſt, ô Galloni, (ut etiam pro Paulo reſpondeam,) quod malimus ſpectare, quam buleuterium iſtud quod loqueris. Mox, inquit ille, faciam cupiditati veſtræ ſatis. eamus. Sed vix domo pedem efferimus, cum aſpicimus, honeſta facie atque eleganti veſtitu hominem domi cujuſdam fores impellere. Cui mulier de feneſtra, Quis, inquit, has fores pepulit? Ego ſum; reſpondet. aperite aliquis, ſi vultis. Tum illa, Opportune advenis, here; non habemus domi olus in prandium; eme, niſi moleſtum eſt, obolo. At ille, Recte admones. ego afferam. facite ut paratum ſit prandium cum venero. Fiet, here; inquit illa. i ergo cum diis benevolentibus. Quam lepide, inquit Gallonius, ancilla herum ab ædibus arcuit? Sed, ni piget hic paulum conſiſtere, ludos aſpicietis longe pulcherrimos. Habitat in his ædibus mulier formoſa, & ætate integra, uxor ejus qui olus miſſus eſt emere. Hæc, conſcio marito, cum publicano locuplete rem habet. ſed, quo eum faciat arietem Phryxi, & uſque ad vivam cutem auro detondeat, perſuaſit ipſi, ſe clam viro morigeram eſſe. nam, Si paululum, inquit, hoc illi ſuboleat, illico omnes perimus. tibi certe illud eveniat, quod mœchis ſolet; quia ille eſt homo iracundus, violentus, ferus. Sed, revera, nulla eſt ovis tam placida quam ille eſt hircus, neque qui magis in uxoris poteſtate verſetur. Attamen, quo metui videatur, placuit inter ipſos, ut, ſi domum rediens, ſigno dato, intus eſſe mœchum accipiat, ſimulatione aliqua à foribus tantiſper abſcedat, dum ſeſe foras

ille

ille proripiat. Vix ea Gallonius dixerat, cum ecce tibi foris crepuit, ac mœchum evomuit. Dixin? inquit Gallonius. quid vobis videtur? At, si esset ocium manendi hic, nec alio vocarer, ut scitis, videretis advolantes huc bajulos cum sportis, coctum olido hirco prandium ferentes. Et sane ferax est hæc tellus ejusmodi hominum. nec mirum si eorum numerus ferè in immensum excreverit. nam est hic quæstus multo nunc uberrimus. ille enim divitias, voluptates, honores parit, ille summorum hominum voluntates & studia conciliat. quamobrem, cui viro paulo liberaliori forma uxor evenit, si venalem eam habeat, manipulatim ad eum munigeruli, cum auro, veste, atque omnibus ad necessarium usum, accurrunt. Verum ideo hæc ars præ ceteris pollet, quia, ut diximus, divitiæ in honore sunt, paupertas probro ducitur; ocium ac luxus expetitur, labor ac modestia defugitur. Sed maritorum non unum est genus. nam alii, non dissimulanter & tacite, sed palam & aperte, sunt improbi; &, dummodo præsto sit, quod edant, vel potent, suo arbitratu, quotidie, quid homines de se loquantur, nauci non faciunt. aliis paulo honestioribus quamvis idem propositum sit atque illis, nempe supra suas vires edere ac vestitui indulgere; attamen volunt existimari se id nescire quod sciunt, ac non videre quod vident: sed, quo liberior mœchis suas ad uxores aditus pateat, sæpe rus itant: interdum menses integros patria domoque carent: nec parum sæpe contingit, ut ab aliquo ex potentioribus, qui paulo solutiore animo eorum uxores secum habere expetit, vel triremi vel oppido præficiantur, ut illi non solum absint domo, cum navigant vel oppido præsunt, sed etiam libenter, cum honore ac beneficio absint; cum autem redeunt, hilare ac festive ab uxoribus excipiuntur, amplexibus implicantur; profert alia purpuram, aurum, torquem; ostendit alia conopea, stragulam vestem, eburneos lectos; aperit alia penum, cellam vinariam, granaria; frumentum ostentat, quod annum illum familiæ sit satis; ac, Vide, inquit, quid mihi mater, quid soror die natali meo tradiderit; quid mihi cognatus, affinis, Quinquatriis, Compitalibus, Circensibus miserit.

Boni

Boni viri credunt, gaudent; neque altius rem esse indagandam existimant. Ajunt etiam, hanc tam ingentem meritricum multitudinem immanes illos sumtus peperisse qui nunc fiunt. Nonne vides, ut quævis mulier ancillarum gregem secum ducat? ut reginæ in morem aurata ac vestita incedat? imo cum unus aut alter sufficere earum sumtibus nequeat, plures amatores habere coguntur, atque inter eos partiri provinciam, hoc modo, ut ille in redimiculum præbeat, ille in collum, ille in crines, ille in cellam, ille in mensam. Dum hæc Gallonius narrat, ædes dynastæ præterimus imprudentes. quod cum sentimus, regredimur rursum; intramus, commodum cum ille sterni sibi lectos ab architriclino jubet. nec mora; Gallonius culinam intrat, dapes instruit, ornat, in mensam infert; dynasta manus lavat, decumbit, prandet; pransus surgit, seque in cubiculum abdit. Nos ad buleuterium recta contendimus; ac Poliarchos offendimus, pro tribunali sedentes, juri dicundo operam dare. Circumstabant eos cetarii, caupones, coqui, fartores, cupedinarii, piscatores, aucupes. horum tantus erat numerus, ut, nisi cancelli interjecti defenderent, Poliarchos opprimerent. odor, qui ab illis teter afflabat, locum implebat. clamor item, ab eisdem veniens, concitato mari similis videbatur. Aliud alius orabat. mihi multam ne irroget. me de reis eximat. clamabat alius, Circumvenior, Poliarchi, nisi subvenitis. hic falsum indicium detulit. alius veterem cum Poliarcho amicitiam commemorabat. ille nummos numerabat. alius deum atque hominum fidem implorabat. Sed, cum satis disceptatum esset, quia dies ille, dies erat curiæ, & maximis de rebus atque gravissimis senatus erat habendus, conclamatum est, I licet. hac præconis voce cohibiti litigatores cuncti discedunt. Poliarchi descendunt, atque expectati veniunt in curiam, quo jam bulentæ (ita enim senatores vocant) frequentes convenerant. Illis ingredientibus, honorifice à cunctis assurgitur. Sed Gallonium in primis cupido invaserat cognoscendi, quæ tanta res eo die senatum extra ordinem cogeret? Estne, inquit, hostis ad portas? Cui responsum est, statuendum esse salsis muriaticis precium, quorum plenam navem

biduo

biduo ante ad litus illud fortuna detulisset. deinde, decernendum esse quot pira vel pruna vendenda sint obolo. Postquam igitur consedere buleutæ, unus ex Poliarchis, qui ætate ceteris antecedebat, facit mentionem, placere statui, si Patribus conscriptis videatur, ne salsamentorum libra carius nummo vendatur. vilitatem eorum annonæ declarat; iniquitatem cetariorum exponit, qui ea, quæ vilissime emerent, carissime venderent. Erat summa voluntas senatus, ut fieret senatusconsultum in Poliarchi verba. Itaque sententiæ dicebantur, cum cetarii minoris asse & semisse salsamentorum libram emissent, placere, non pluris eam nummo licere ab ipsis revendi. Eo die transigi nihil potuit, quod & id temporis erat, & improbi illi invenerant homines, qui dicendo tempus consumerent. Dimisso senatu, dum etiam tum Poliarchi inter se colloquuntur, accurrit unus, qui corrumpi prandium nunciat; ac monet, ut venire accubitum properent; diem esse ad umbilicum dimidiatum mortuum. Ius orat, inquit unus ex Poliarchis; eamus. Et, dum festinat, inspicit in turba Gallonium; vocat, atque, Heus tu, inqnit, hodie apud nos sis volo, & tecum isti quos ducis. Benigne, ait Gallonius. Et simul occupationes varias excusat. Cui ille, Nugas agis, respondet. nam, si mutire audes, te pro potestate vinciri, & in carcerem condi jubebo. Tum Gallonius arridens, atque in nos intuens, Mos gerundus est, ait, nisi in custodiam abripi malumus. At ego, Semper, inquam, triclinium carceri, epulas catenis anteponerem: tu tamen age, ut lubet. Ego quoque satius esse censeo, inquit Gallonius, vinculis escariis ad mensam plenam deligari, quam in carcere crassas compedes ferre. Præeuntem igitur sequimur; & in conclave perducimur amplum, lucidum, pulcherrime laqueatum, peripetasmatis stratum, ornatum signis lepide eleganterque dispositis. erat in medio triclinium ample magnificeque constratum. erat præterea abacus seorsim exposita; nullum in ea vas fictile; omnia erant argentea, pollubra, gutti, patinæ, vasa vinaria, salina, pocula. Occurrunt servi complures, simili vestitu, ex purpura auroque contecti; pistes eos vocant; qui aquam nivatam manibus tradunt. Lavamus; ac jussi lectos

ascendimus: summi, Poliarchi; nos,imi decumbimus; ceteri convivæ in medio. Continuo epulis mensa completur; feruntur aves, farcimina, pisces, glandia, denique quidquid anni tempus luxuriæ suppeditat. Vix cœptum est fieri prandio funus, cum Poliarchus natu grandior, quasi stomachans, Mihi, inquit, siti fauces lippiunt; nimis diu siccus hic jaceo. ferte aliquis poculum: properate. Accurrunt; afferunt. Quod ubi labris admovit, Pape, inquit, non vinum hoc, sed Iovis est poculum. unde, obsecro, prodiit? quis illud deus ex cælitum mensis ad nos demisit? Respondit puer, qui ministraverat; Fuit hodie vobis muneri missum. A quo? inquit. quis est tam potens cum munere hoc? Hic est, ait, ille caupo, qui delapsus est in illam fraudem tam sceleratam, ut mistum pro mero divenderet. Et vir hic tantus ob tam levem noxam perdendus est, inquit Poliarchus, & non potius servandus, qui tam præclaras potiones concinnat, quæ prorogare vitam hominibus possint? equidem si perpetua hæc felicitas esset, sperarem, hoc vino vel ducentos annos me posse vivere. Et simul calices majores poscit, allatos circumferri jussit. Erat prope me Iberus ille academicus, homo, ut diximus, urbanus ac facetus. qui dum ingurgitat in se merum illud faucibus plenis, nec laudandi finem facit, pars siluri, quam antepositam habebat in lance, dimissis manibus, avolavit commutavitque coloniam. quod ille, in se reversus, pistium dolis, ita ut erat, factum existimans, Plagigerum genus hominum, clamat; ubinam gentium sumus? inter Lacedæmoniosne, an Cilices? reddite quod surripuistis; referte meam mihi partem siluri. Convivæ ridere; Poliarchi amicum tollere, &, ne quam turbam efficeret, suas eidem partes contribuere. Ille quiescere, atque iram in tranquillo constituere. verum, quoties erat bibendum, quod alternis pene bolis fiebat, contra fures patinarios hac se ratione munibat; altera manu cantharum corripiebat, altera patinam harpagabat. & sane non erat opus minore apparatu adversus tot alitum præsentes insidias: vigilandum erat, in custodia manendum: nam vix lepidum aliquod obsonium apponebatur, cum è conspectu abibat; vix oculus vel manus à patina disce-

discedebat, cum milvus vel accipiter aliquis avertebat obsonium; ut diceres, ibi non prandium, sed Hecatæ sacrum fieri. Post hæc accedunt symphoniaci decem, & incipiunt tibiis scitissime canere. Percrepabat conclave illud totum suavissimæ cantu symphoniæ, neque aures meæ antehac dulcius quidquam acceperant. Sed Iberus, cui de siluro manus adita erat, Obtundunt, inquit, nos isti; jamdiu poculum posco, neque quisquam audit. amoveantur hinc, obsecro; nihil opus est cantu. Vera narras, inquiunt Poliarchi. Fugite hinc ab oculis, ac pro tibiis amphoras sumite; neque vento, ut adhuc fecistis, sed vino, ambas strenue buccas inflate. Non ita celeriter terra deorsum, vel sursum flamma, contendit, ut illi lagenas invadunt, rapiunt, in sese invergunt, vel potius in barathrum fundunt. Illis è conspectu sublatis, rogavit Iberus ille, num caupo, qui tam bonum vinum dedisset, sæpius delinqueret? Sæpissime, inquiunt Poliarchi. sed non magis accipiter vel milvus rete, in quod induit sese, dirumpit, quam iste judicia omnia legesve perfringit: nec, si maxime condemnare eum placeat, id nobis per dynastas licet, quorum magnam partem munere aliquo sibi devinxit. nam aliis cellam vinariam instruit, aliis præbet quotidie quod potent. itaque, cum est opus, pro illius incolumitate atque salute, non secus ac pro ipsorum gloria, fortunis, ac fama, decertant. Sed ejus improbitas nobis quoque usui est. semper enim aliquid ab eo corradimus, vel pecuniam, vel vinum, vel delicatum saltem obsonium. Erat Græculus quidam in illis, naufragio, itidem ut nos, illuc appulsus; qui, cum vinum ebibisset, reliquum sic è poculo ejiciebat ut id resonaret: quod Iberus ferens indigne, Videturne tibi, inquit, hoc vinum dignum quod ejiciatur? tum ego ad elidendum in pavimentis sonum ex vino relinquerem, cum lora aliqua vel vappa mihi esset ingratiis potanda: at suavissimi hujus vini ne guttam quidem patiar deperire. Atque una opera ingentem pateram implet, eamque vini meri, ita ut matre erat natum, exhaurit: qua epota, quidquid eidem villi adhæserat, cœpit lingua delingere. Quamobrem totum illud convivium redundavit hilaritate & joco. Quo con-

fecto, accedit œconomus ad Poliarchos, oratque, ut, nisi molestum esset, paululum sibi operam darent; habere se res non parvi momenti, quas ipsos scire quamprimum expediat. Iussus, quæ vellet, nobis præsentibus dicere, narrat, nullum fere reliquum esse in culina peniculum, quo ollæ patinæque abstergantur. nam partim usu consumptos, partim, quod uncti essent, à muribus fuisse corrosos. proinde argentum enumerent, quo novos coëmat. Respondent illi, majorem esse rem hanc, quam ut ipsi de ea statuerent. nam decernere, ut pecunia ex ærario depromatur, non ad ipsos, sed ad senatum universum spectare. se tamen, honoris ipsius gratia, senatum quamprimum convocaturos, atque operam daturos, ut rei tam necessariæ, quanta maxima potest celeritate, obviam eatur. His actis, suum quisque in cubiculum requietis causa se contulit: nos ad tabulas pictas, & signa pulcherrima aspicienda, oculos animumque convertimus; &, quia nulla aspiciendi satietas erat, quatuor fere horas in eorum contemplatione consumpsimus. Sed, inclinato in vesperam die, discessimus. Inter eundum sciscitamur à Gallonio, cur invitatus ad prandium tam opiparum non continuo accurrisset, sed vi ac minis prope attrahi maluisset. Quia, inquit, pudebat me conspici cum talibus viris accumbere. Quid? aio; nonne honestus est ille honoris locus? Est, inquit, honestus; sed interdum non sunt honesti qui in eum ascendunt. nam hodie statuarii, pictores, sarcinatores, ac, si diis placet, mediastini, gratia vel precio ereptum eum adveniunt. Quamobrem ex nobilibus, præter paucos, qui bonis elaverunt, vix quisquam invenitur qui magistratum hunc petat: imo sæpe multi ultro oblatum sibi recusant.

Inter hæc Aridus academicus nobis occurrit, consistimus. Rogat ille Gallonium, unde veniat? quo tendat? Respondet, Modo ex buleuterio discessimus. Quid, ait, negotii tibi fuit in buleuterio? venistine eo advocatus cuiquam, vel cauponi, vel cupedinario? Minime, inquit; sed prandimus ibi invitati atque adeo coacti ab Euclione Poliarcho Megadoris filio, ejus qui fullonicam fecit. Audio, inquit. Sed bene vobis fuit. vino ac lepidis victibus? Sic, ait Gallonius, ut mihi nunquam

in vita

in vita fuerit melius. Gaudeo, inquit Aridus, si quid tibi evenit boni. Sed tu quo te agis? ait Gallonius. Nescio, inquit Aridus, neque quo eam, neque quid agam. vix potui me divellere à quodam, qui lateri meo inhæserat, nec me volebat amittere. Exibam ex delubro Apollinis, quo frequenter orandi causa venio; atque fit mihi obviam quidam senex bene vestitus, ac salvere me jubet; salutanti mutuam salutationem reddo. At ille, Quamvis antehac, inquit, non sis usus amicitia mea, nec fortasse me noveris; attamen jampridem te ob tuas virtutes colo, & amicum habere expeto. Ego gratias ago; neque in hac mea mediocritate ingenii fortunæque quidquam esse affirmo, quod ille miretur atque suspiciat: neque tamen audebam interrogare quis esset? At ille, si me noveris, inquit, noveris sane hominem probum, & in primis cupidum existimationis bonæ. non enim invenies mei loci atque ordinis alterum, boni nominis æque studiosum, quique uxorem ac liberos habeat pudicitiæ fama clariores. Atqui scias, prius proditurum me meam vitam, prius pecuniam omnem, quam vel levem aliquam in existimationem meam labem admittam. nam quid mihi opus est vita, quid opibus & divitiis, parte aliqua existimationis amissa? præterea octavo quoque die, puro me flumine abluo, & diis agnam sacrifico. Sed meas conturbat rationes filius, minus mihi obsequens, quam parenti par est. hic paucos ante dies rivalem suum cominus gladio transfixit, orcoque transmisit; ideo nunc exulat. sed intra breve tempus restituetur; ita ille mihi promisit qui rerum potitur. Sed, quamvis in iram pronus, præstat tamen forma ac virtutum multarum laude. etenim annos natus non amplius viginti, à capillis usque ad ungues totus luculentus est atque festivus. in ludo gladiatorio, in arte equitandi, neminem metuit, una ætate qui sit. præterea cantat quod Apollo etiam invideat. Tum ego, Hui, inquam, puerum elegantem narras. ô felicem matrem, quæ talem peperit! Sed quod illi dicam esse puero nomen? Pusillo Pleuræ, inquit. At ego, Estne, obsecro, maritus? Isthuc dii prohibeant, inquit. nam hercle etiam hoc unum deesset solicitudinibus, quibus ille me onerat.

ſed eſt illi ſoror, quæ nupta eſt cum adoleſcente in primis lepido ac viris principibus caro. hæc, præter formam de cujus elegantia ad aures tuas perveniſſe veriſimile eſt, ita ſcite fidibus canit, ita ad fidium cantum ſuaviſſimam vocem accommodat, ut Iovem etiam poſſit de cælo deducere. quamobrem tanti ad eam audiendam principum virorum concurſus fiunt, ut, cum eorum amplitudinem & numerum domus mea non caperet, fuerit mihi neceſſe ædes longe laxiores in celeberrima urbis parte conducere; atque heri minas octo pro ſemeſtris habitationis mercede perſolvi. nec mirum, ſi omnes ita avidas ad eam aures afferant. Iam pridem non eſt audita. modo enim ab Anthimo rege revenimus, qui nos, ad nuptias ſororis ſuæ maximis præmiis accitos, menſes apud ſe continuos octo detinuit. Hanc diligo, quæ mihi morigera eſt, ac deos metuit; hanc curo unam, quæ me curat nitidiuſcule, veſtit, ornat. Sed, quo pacto res ipſius, quæ paupercula eſt, tot ſumptus ſufferat, non eſſe arbitror boni parentis exquirere. His auditis, vix tandem intelligo, hunc eſſe Pleuræ notiſſimæ meretricis patrem; ac, pudore ſupra quam dici poteſt metuque correptus, ne conſpicerer ire cum illo in via, multa excuſando, ementiendoque, ab ejus latere me tandem evelli, atque illam infamiam effugi.

En vobis, inquit Gallonius, alterum genus hircorum, quod eram oblitus. id cum ſit turpiſſimum, ſimulatione honeſtatis ac ſanctimoniæ, opinioni hominum ſe commendare nititur. Sed iſtius impudentia eo eſt intolerabilior, quod rei apertiſſimæ clariſſimæque tenebras offundere conatur, ac contendere, mero meridie tenebras eſſe. Nam, quod ait, filiam ſuam à Rege Anthimo accerſitam ad nuptias, aperte mentitur. illuc enim perducta eſt ab adoleſcente, qui eam uſurariam habet, ſed, ob flagitia, & turbas quas effecit, ejus regni finibus, quantum eſt, pulſa ſe recepit in patriam.

Sed de his hactenus, inquit Aridus. Nihilne allatum eſt ad vos de fuga Lyconis trapezitæ? Nihil, inquit Gallonius. Sed quid audio? Lyco trapezita fecit id quod ſervi improbi ſolent? Quod ſi verum eſt, profecto decem

cem minæ, quas heri apud eum deposui, periere. Bono animo es, inquit Aridus; hoc infortunium est tibi commune cum multis. nam heri non cessavit à mane ad vesperam usque argentum ad se allatum accipere; omnibus acceptum referre; nemini expensum ferre; iis, qui transmissæ pecuniæ syngraphas afferebant, varias occupationes excusare, atque ut postridie reverterentur orare. quamobrem expletus pecunia, concubia nocte, fugam arripuit, vel potius occultavit se in ædibus alicujus potentis, cujus præsidio septus pecunias, quas surripuit, in tuto constituat. Sed ex multis, qui ad hunc scopulum offenderunt, fuere virgines honestæ complures ac viduæ; quæ, ut dotes suas, unicum pudicitiæ ac solitudinis suæ præsidium, à domesticis furibus conservarent, prædoni huic argentario ultro diripiendas detulerunt. O pessimum hominem, & cruce ac suspendio dignum! atqui esset optandum, ut Harpacis, qui proximis annis decoctoribus nomen dedit, similis inveniretur. non enim pessime cum creditoribus ageretur. Tum ego, Quis est iste Harpax? Hic est pannarius notissimus, ait, qui tabernam pannariam ad imum Ianum habuit, ibique juventutem suam exercuit. verum ante quatuor annos, laboris fortasse pertæsum, libido ingens invasit decoquendi, salvis imo etiam florentibus rebus suis. neque enim illi navis naufragio, neque merces incendio perierant, nec extraordinarii sumptus æs alienum grande conflaverant; imo contra, semper omnia ex sententia processerant, ac vita ipsa duriter ac parce producta pecuniam opesque congesserant. Num tibi parsimoniæ illius argumentum dari aliquod postulas? accipe. Opistographa non abjiciebat, sed diligenter collecta, ad epistolas, quas ipse aliis mitteret, amiciendas conservabat, funiculos, quibus epistolarum sibi missarum fasciculi obligabantur, non incidebat, sed solvebat, & in alios usus convertebat. sexcenta sunt, quæ memorem, si sit ocium. At hic mortalis, ita parce parcus, die quodam à prandio accersit ad sese sororis suæ filium, quem domi secum alebat: ostendit illi, quam pulchrum sit divitiis affluere: fidem, probitatem, bonam famam, esse rerum inanissimarum vocabula; neque enim ad-

huc bonam hanc existimationem & famam se esse usum pro nummis apud pistorem & lanium; neque vidisse unquam, hoc precio aves, pisces, & cupedia in macello coëmi; sed præsenti pecunia: satis labori, satis industriæ à se traditum esse; nunc anteactos labores, & tractari mollius annos, aliud vitæ genus exposcere, nempe lepidum, liberale, amœnum, confertum voluptatibus: sed non posse rem ipsorum, quæ non ita magna sit, tot sumptibus suppeditare; statuisse se petere auxilium ab alienis pecuniis; hoc est, decrevisse se locupletare cum alterius damno, ac, Beati erimus, inquit, si argentum, quod debetur, non reddimus. Tu interea, dum pomeridianum hoc tempus quieti somnoque concedo, curriculo hinc ad quæstorem excurre; ab eoque simulato rerum nostrarum naufragio ac ruina, precibus, lacrymis diploma vel jussum extorque, quo caveatur, ne creditorum quisquam molestus sit nobis. de reliquo mihi curæ erit. sudabunt, si dii volent. neque erit difficile impetrare quod cupimus, cum apud quæstorem plurimum gratia valeamus. furtum erit manifestum, invidiosum, turpe, sat scio; præterea una in tota civitate fabula erimus: sed quid mea? numne in manu mea est quid vulgus loquatur? His dictis, ociosus ab animo, totum somno se tradit. Ille ad imperata facienda digreditur, quæstorem adit: quemadmodum Harpax bonis elaverit, & creditorum sævitiam extimescat, narrat: ac simulationem illam malus, & lacrymis & vultus confusione, convestit: postremo, ut avunculo suppetias ferat, exorat. Ille habita dicenti fide, ac misericordia commotus, plus etiam quam expetebatur attribuit. Re bene gesta, ovans domum revertitur, avunculum adhuc stertentem offendit. neque voluit dormientem excitare; sed, diplomate ad cervical ejus apposito, cubiculo egreditur. Harpax experrectus, dum etiam tum pandiculans oscitatur, fit ut chartam illam sibi ad caput appositam naso diverberet. sumptam in manus, inspicit, legit; ac præ gaudio, Sum dives, exclamat. ac sororis filio, qui ad eam vocem accurrerat, Macte, inquit, virtute juvenis; pulchre, strenue, lepide: nunc noster es; laudo; dignus es, pro hac insigni tua in avunculum pietate, qui meis facultatibus
pari-

pariter mecum utaris, aut etiam amplius. Nec mora; tabernam vestiariam, ut mos est decoctorum, occludit, ac pro decoctore se gerit. Spargitur interea rumor, Harpacem decoxisse. mirum, novum, incredibile omnibus videri, eum, qui quatuor horas ante opibus & existimatione valuisset, puncto temporis, his omnibus eversum concidisse. At creditores non sibi desunt; ad Prætorem accurrunt. rem narrant. ut in carcerem detrudatur orant, impetrant; lictores domum Harpacis advolant, irruunt, impetum in eum faciunt, vincula injiciunt. Ille quæstoris diploma lictoribus in os objicit, impetum adimit, audaciam eripit, atque, ultro derisos, una cum creditoribus in malam rem ire compellit. Creditores, ubi hanc rem esse occisam vident, universi conveniunt; queruntur, consultant; quid optimum factu sit quærunt. sed omnia consilia frigent; quid agant, non inveniunt. Sed, dum ita æstuant, procedit in medium unus qui erat in consilio, clam ab isto summissus, quique magnam pecuniæ rationem se cum eo habere assimulabat; ac, Si licet, inquit, loqui, quod sentio, ego darem operam, ut, si fieri posset, ad aliquam cum eo pactionem conditionemque venirem. nam quamvis multa apud eum bona reperiantur, attamen magnam eorum partem, dotis nomine, sibi mater vendicat, magnam etiam sororis filius, quorum singuli tum magnitudine pecuniæ, tum temporis intervallo, unicuique nostrum antecedunt. Inventus est nemo, qui non cum eo transigendum putaret. satius enim esse ajebant, partem aliquam crediti quam totum amittere. & simul isti negocium dant, ut hominem adeat, causam creditorum suscipiat, & quam minimo potest detrimento rem cum eo decidat. Postridie revertitur, vix Harpacem eo à se perductum narrat, ut singulis creditoribus intra biennium dimidium ejus, quod debet, exolvat: illud à se extortum, & quidem summa cum vi, ut ejus, quod promitteret, prædes matrem ac sororis filium daret. Clamant omnes, Audaciam! impudentiam! quid enim excogitari impudentius potest, quam velle dimidiam crediti partem sibi remitti, & ad id, quod superest, enumerandum biennium exposcere? Tum ille, qui retulerat, Agite, inquit, ut

 lubet.

lubet. matris ac ſororis filii creditum totas ejus facultates exhaurit ſane. quod ad me attinet, mihi certum ac deliberatum eſt cum illo tranſigere. At miſeri creditores, poſtquam ira deferbuit, inter ſacrum ſaxumque ſe poſitos eſſe intelligentes, ſtatuunt, de communi ſententia, fortunæ cedere, atque id, quod dabatur, accipere. Decretum fit in verba illius qui rem propoſuerat; ac ſcribendo ad unum omnes interſunt. Harpax, tanta repente pecunia locupletatus, ad clivum Iani, amœno atque ab arbitris remoto loco, ædes magnificas, ac viridarium illis adjunctum, magna mercede, conducit; rhedam & familiam comparat; ornat quotidie laute magnificeque convivium; &, quo aliqua ſe ſimulatione exiſtimationi hominum vindicet, ut non ſuo, ſed fortunæ vitio naufragium bonorum feciſſe videatur, templa deorum immmortalium frequentat; ad omnia eorum pulvinaria, poſitis genibus, orat: ſed cum

Iane pater *clare, clare cum dixit* Apollo,
Labra movet, metuens audiri; Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da ſanctum juſtumque videri;
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Hæc cum Aridus dixiſſet, ſilentium eſt conſecutum. Sed paulo poſt Gallonius, tanquam ab aliquo ſomno excitatus, ſive dolore naufragæ, vel potius peſſundatæ pecuniæ, percuſſus, ſive iracundia elatus, Fures, inquit, iſti, & prædones manifeſtarii, ſi meo arbitratu liceat, omnes pendeant. Sed quonam meo fato fieri dicam, ut nemo abhinc triennium conturbaverit, quin meas etiam fortunas perturbaverit? nonne Pleuſides ille, qui ante duos annos argentariam fecit, mihi etiam impoſuit? nam minas quatuor abſtulit. At me non fefellit, inquit Aridus. nam faciem cum aſpiceres, nonne ipſum caput & ſupercilia olere crucem & clamitare furcas videbantur? At fecit eleganter, excepit Gallonius. nam prius quam pecunias cujuſquam attingeret, clam omnes in publicas tabulas referendum curavit, nihil ſibi eſſe in terris ubi in ſuo pedem poneret, ſed ad patruum amitamque quæ ſua putarentur, omnia ſpectare. tum cœpit ab omnibus pecunias accipere, permutare. poſtremo, refertus pecunia, in proximum huic inſulæ regnum,

gnum, ad expugnandas aliorum pecunias, castra commovit. nam audio, novam ibi argentariam, hoc est, novam prædandi rationem instituisse. Sed cur non etiam, inquit Aridus, huic narras Septimi Pleusippi furtum, omnium quæ memoravimus improbissimum? fortasse, quia immunis ab eo discesseris, neque una cum aliis fueris detonsus. Non ædepol, Gallonius ait, in mentem venerat. nam tantus est istorum furum numerus, ut non sit mirum, si mihi nonneminem eorum, multitudo subducat. Sed quæso, narra tu illi. ira enim, qua efferor, pæne mihi mentem extorquet. Tum Aridus, Libenter, inquit.

Hic Septimus, quem dicimus, argentariam, quam multos annos fecerat, ex improviso dissolvit; atque imperat filio, quem maliciose emancipaverat, ut novam argentariam instituat; & pecunias, quas in nominibus habebat, quæ erant maximæ, ac debebantur ab iis qui tunc solvendo non erant, à se coëmat. Ille, uti erat imperatum, facit; ac novus trapezita pecunias ab omnibus accipit patrique deinceps, pro nominibus emptis, solutionis jure dinumerat. At pater postquam illam rei familiaris lacunam explevisse visus est satis, filium appellat, ac, Satis, inquit, fili, officio nostro fecimus, satis rei familiari nostræ prospeximus, satis Lavernam propitiam habuimus, ægre enim ferebam prope conturbasse rem nostram, debitorum improbitate. nunc autem, cum eam in suam rationem revertisse jam videam, æquum arbitror, ut pecuniis miserorum innocentium parcamus: nam, quemadmodum eos laudo, qui dant operam rei suæ, etiam cum alterius injuria; ita eos odi, qui cupiditate longius prodeunt, nec finem prædandi constituunt. Quamobrem facias, censeo, quod vulgus argentatiorum solet, ut fuga rem solvas, hoc est, tantisper te in aliquam dynastæ cujuspiam domum abdas, dum ego creditoribus tuis aliqua decisione faciam satis. Neque minus meæ partes erunt, perficere ut quamprimum tibi prodire in publicum liceat. Non moratur, sed statim summittit aliquot, qui spargant in vulgus, filium decoxisse. Ad hanc vocem creditores accurrunt, Septimi domum

domum obſident, bona deſcribunt, tabulas obſignant. Fit obviam illis ſeptimus, &, Quid, inquit, domi meæ vobis debetur? Iam ſcies, inquiunt. ambula in jus. Ille non invitus ſequitur; venit ad prætorem; oſtendit, nihil eam rem ad ſe pertinere; filium emancipatum ſuas res ipſum agere. Ergo liber dimittitur; illi triſtes abſcedunt. Verum pater amantiſſimus, memor polliciti ſui, de filio reducendo cum creditoribus agit. Quibus convocatis, ejuſmodi conditionem affert, qua miſeris crediti major pars deperibat. Illi, qui eas pecunias in conclamatis haberent, pauxillulum, quod deferebatur, tanquam de cælo demiſſum arripiunt. Verum felicitates fere nunquam ſolæ contingunt, ſed nexæ copulatæque inter ſeſe proveniunt. nam qui ita fuerat felix in furando, obtinuit etiam, ut mala illa nomina quæ filio divenderat, bona evaderent; ab eiſque totum, quod ſibi debebatur, exigeret; multumque deprecantibus nonnullis, ac bonam copiam ejurantibus, ne unius quidem aſſis gratiam faceret. Vnus adhuc ſcrupulus adoleſcentem cupidum exiſtimationis bonæ torquebat, videlicet infamia turpitudoque, qua ſeſe conſtrinxerat. ac, Poterone poſthac, ajebat, ora civium aſpicere, aut populo huic os meum oſtendere? Cui pater, Tace, inquit, ſtulte; pecunia hic, non fama, reſpicitur: dum ea integra ſit, ſi qua famæ labes inſedit, facile eluitur. Sed ſtatim filius, Arbitror, inquit, ô pater, me rationem inveniſſe recuperandæ exiſtimationis amiſſæ. Eſt hic Philoſophus, ex Stoicorum diſciplina, magna apud omnes exiſtimatione ac nomine, qui feſtis diebus, in concionibus, quas habet ad populum, luxuriam & avaritiam noſtrorum hominum inſectatur; eum omnes tanquam de cælo delapſum intuentur. hunc ego ſectari conſtituo, & arctiſſima mihi familiaritate conjungere. ita enim facile, quod deliquerim, in ejus probitate occultabo. Placet patri ratio. Itaque ſe illi Philoſopho applicat, ejus lateri hæret, concionanti aſſidet, pallium ſervat, linteum, quo ſudorem abſtergat, defert. Sed, dum vult occultare ſe, prodit; dum nititur infamiæ vulnera ſanare, exulcerat. magis enim homines in hac tam putida ſimulatione ſtomachantur, ac offenduntur. Hæc Aridus verbis acerrime

me perſequens, ocularibus ex theca detractis, naſoque adhibitis, in ſummam plateam aciem intendit. Quo etjam Gallonius intuens, Ecce,inquit, Salvium Typhernatem, cum Lepido Gallutio Siniſtro, Minutii filio. hunc Lepidum Aridus ſtatim laudabit atque extemporalibus verſibus ad ſtudium virtutis impellet. Neque Gallonius aberravit. nam Aridus advorſum Lepido veniens ſic orſus eſt:

Pieridum lux alma, vale, generoſa Siniſtræ
Progenies ſtirpis, qua non præſtantior ulla,
Seu pietate virum, numero ſeu certet avorum.
Te ſalvere jubet longo gravis Aridus ævo,
Sed gravior vaſto veteris ſub pondere culpæ,
Quæ ſurſum nitentem animum compellit ad ima,
Scilicet aſſiduus peccandi contulit uſus,
Vt tenues miſero ſubſint in prælia vires,
Si ferat arma furens vitiorum cominus agmen.
At tibi cana ſenum teneris mens hæret in annis.
Atque tenax probitatis amor, laudumque cupido.
Sed quem pulchra ſuo ſapientia nectare paſcit,
Quid mirum, falſo nequeat ſi ludere fuco,
Vel turpi maculare luto male ſana voluptas?
Macte animo, macte ingenio, ſic ardua magni
Amphitruoniadæ virtus laudata niteſcit.
Ille iter anguſtum laxo, præruptaque ſaxa
Floribus & campis potiora putavit amœnis.
Hoc eſt, poſt habuit rigido damnata labori
Ocia, & ancipiti plumoſa cubilia bello.
Hinc ſuperans diram proſtravit cominus hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit.
Nempe domat validiſque ligat fera monſtra catenis;
Nec generoſa putat quidquam inſuperabile virtus.
Tuque etiam ingenuas centum, puer, aptus ad artes,
Argilla quidvis imitabere flexilis uda,
Si cultura frequens menti non deſit opima.
Eia age, ne ceſſes. nam quæ tibi gaudia ſurgent,
Ardua dum feriet volucris tua gloria pennis
Aëra præpetibus, teque altis inſeret aſtris?
Præterea, quæ dira cohors, quæ ſæva malorum
Agmina prætereant, toto quæ pectore triſtes

Diffu-

Diffugiant curæ, dum sic ea spernis & horres,
Quæ lacerant animum stimulis ardentibus ægrum,
Inficiuntque notis lacrymarum fonte luendis?
O si demensæ metiri tempora vitæ
Sit mihi fas iterum, quam non ego segnis, ut ante,
Molliter exactæ repararem damna juventæ,
Ad tua commissum repetens vestigia cursum?
Sed cum non redeat defluxi temporis ætas;
Restat, inoffenso cernam te pergere gressu
Per pulchras artes ad celsæ culmina laudis;
Immistusque tuo turbæ quæ pendet ab ore
Effusos hilari reddam tibi pectore plausus;
Vel si docta chorus Musarum carmina dictet,
Vel si suspiciant oculi te mille loquentem,
Vel si patronum causis sibi quisquis adoptet.
Dic patri interea multam fratrique salutem.
Sed quo longa patri contingant gaudia de te,
Aurea fila neat Lachesis, nec divite lana
Cesset honoratam digitis producere vitam,
Ille prius longos quam Nestoris impleat annos.

Non cessasset usque ad noctem versus effundere, nisi Gallutius, qui fortasse aliquo properabat, salvere jussum reliquisset. Vnde conversus ad Gallonium, Doleo, inquit, me tibi attulisse nuncium non ita jucundum. Imo gratias habeo, ait Gallonius, quod ejus me participem feceris. Restat mihi rogandus dynasta meus, ut mittat Prætori, qui dicat, ut honoris sui gratia, in causa Lyconis, nulla mihi fiat injuria. non enim dubito quin pro opera, quam illi fideliter navo, patrocinium meum sit arrepturus.

Sed discedentes remoratur Iberus ille, qui in Academia rationem tuendæ per æstatem valetudinis quatuor versiculis comprehenderat, quique revertebatur ex buleuterio, ubi à Poliarchis, præter prandium, merendam etiam exegerat. Ego non invitus restiti. eram enim cupidus hominis suavissimi degustandi. At eum videmus pedissequos atratos post se duos habere. Rogat Aridus, quemnam lugeat mortuum? num fratrem? num sororem? num amitam? num materteram? At ille, Me, inquit, lugeo extinctum. Quid ais? sanusne es? inquit

Ati-

Aridus. si ad istam rationem sunt omnes mortui, mortem nihil moror. Respondet; Ego dicam tibi. Neminem habeo, neque cognatum, neque affinem, qui mihi mortuo funus faciat, neque mea causa sibi familiæve suæ filum atrum imponat. Ergo illud officium, quo cariturus sum mortuus, ipse mihi ex parte vivens impertio. Imo si scias, ubi mihi sepulcrum faciendum locaverim, laudes. Fortasse, inquit Aridus, in æde Apollinis, Minervæ, vel Martis? Minime; ait ille: sed Ad murum urbis, in ea parte, ubi paululum ille inclinat atque propendet; qui locus Ad murum obliquum appellatur. nam arbitror me invenisse rationem à nemine adhuc excogitatam, qua meum nomen futuris omnibus sæculis in hominum ore defigam, vel saltem vivacior quam Ennius volitem per ora virum. nam ibi, ut scis, malleo hastato ac pila lignea luditur: erit itaque saxum illud meum perpetuus scopus, signumque ubi ludentes colliment; perpetuoque audientur hæc verba, Dirigamus pilam ad saxum Iberi. neque multi dies intercedent, cum locus ille, commutato nomine, saxum Iberi vocabitur. atque paucos hic habeo versiculos, quos saxo illi incidendos locem. Obsecro, inquit Aridus, nisi molestum est, perlege. nunquam enim propagandi nominis causa elegantius quidquam me audisse confiteor. Tum Iberus, Nihil possum tibi roganti negare.

Hic situs ille jacet, qui nomine dictus Iberus
Tempora militiæ floridiora dedit.
Post, aulæ totos per denos contulit annos,
Cum largas mendax polliceretur opes.
Sed vix emunctam nummis recreare crumenam,
Vel sicco potuit pellere ab ore famem.
Nunc, ubi propendet declivi vertice murus,
Malleo & è ligno luditur usque pila,
Mortuus æternum sperat per sæcula nomen,
Si stet pro signo, quod pila missa petat.

Risimus omnes elegans & amœnum hominis ingenium. Sed ille, Missa isthæc, inquit, faciamus. Cras volo, Aride, prædiolum tuum invisere. præpara mihi jentaculum, vel potius mensam pollucibilem extrue. sed cave in primis, ne aliquam mihi vappam apponas; sed

vinum

vinum invenias, quod sit suavissimum. nisi tibi vites præcidi, & caput male multari postulas. Tum Aridus ridens, Placide, inquit. non nunc hic fabula datur, ubi tu gloriosum ac ferocem militem agas. ac, medicinam quandam ingressus, scripsit amico cuidam suo hanc epistolam,

Cras mecum ruri conviva recumbet Iberus,
Integer ac validus, cui bona vina placent.
Hæc dare si nequeo, tumidus mala multa Laverna
Ingerit & capiti non numeranda meo.
Quod ni quadrantal vini mihi miseris, olim
Quo repuli febrim, pestiferamque sitim,
Hujus jam rabies malesana refringet Iberi
Et ruri vites, & mihi fuste caput.

Hac epistola perlecta, actisque Arido gratiis discedimus, & cum Gallonio ad ejus dynastæ ædes recta via contendimus. Gallonius, sine mora ad dynastam introducitur. Sed paulo post tristis egreditur. Quæro, quid tristis sit? Nihil, respondet. Sed, conjectis in cælum oculis. O quinquennium, inquit, apud istum male contritum! Dii, facite, ut ejus opis nunquam indigeam. Rogo iterum, quid sibi evenerit? Incipit; Postquam abeo intro, solum eum deambulantem invenio. Qui ad conspectum meum substitit, expectans quid vellem. Narro, quemadmodum Lyco os mihi subleverit. Oro, ut me per nuncium Prætori commendet. Eripit mihi ille orationem, ac, prominenti rictu contractoque supercilio, Sanusne, inquit, es, qui hæc postules? nescis, mihi religionem inesse? Vel jus tecum facit; vel non. si tecum est; nihil tibi mea opus est commendatione; facile à prætore æquissimo quod justum est impetrabis. si tibi jus adversatur, mene idoneum censes, qui vim legibus afferam, quiq; judicum religionem mea commendatione pervertam? Ego bilem non continui; sed, Quam pridem, inquam, hæc te incessit religio? non eras adeo religiosus, cum Toxillum hominem impurum atque sacrilegum ita commendabas, ut non posses vehementius. Ille iratus, Vide, ait, arrogantiam hominis & impudentiam, non prægustatorem mihi conduxi, sed dominum & magistrum. Commendavi illum, quia mihi libuit:

nunc non libet. Quid hoc? audiſtin? an nondum etiam ne hoc quidem? His auditis, non expectandum cenſui, dum fuſtem ſumeret, ac me plagis contunderet. Quid? inquam ego: idne triſtis es? tantane tibi amicorum penuria eſt, ut nunquam ſit auxilium, niſi in hoc uno? Nulla apud nos vilior eſt, inquit, annona, quam hominum officioſorum. nam ſunt dynaſtæ omnes in hanc rem ad ambitionem uſque propenſi. Verum id cauſæ meæ adverſarium eſt maxime, putabit enim prætor, me, fracta apud dynaſtam meum navi, adventiciæ neſcio cujus commendationis tabulam arripuiſſe. quamobrem cum hac ſuſpicione non modo ille me ad voti mei ſucceſſum, tanquam ad litus, non impellet, verum etiam exortæ tempeſtati exagitandum exorbendumque concedet. Tum ego, Quid facias? muſſitandæ ſunt principum virorum injuriæ, & dolor tuus, ex hac repulſa conceptus, donariis leniendus, quibus ab eo quotidie compleris. Derides, inquit Gallonius, tu me? genium meum iratum habeam, ſi toto hoc quinquennio, quo hujus diaria rodo, ex illius donariis, nummo uno aureo ſum factus locupletior. at, ſi illum audiſſes, cum conduceret operas meas, continuo juraſſes, omnes ejus facultates, ac divitias, futuras mecum cum ipſo communes: ita promiſſa largiter extendebat. ac memini in primis, eſſe pollicitum, O Galloni, modo aliquid inveni, in quo mea tibi gratia prodeſſe aut opera poſſit; in ea re faciam, ut meam in te voluntatem ſtudiumque cognoſcas. nunc autem quo promiſſa ſpectaverint, vides. Hic ego, correptus furore poëtico, extemporale hoc carmen effudi,

Quid dominum tumida contundis verbere lingua,
Quod tibi promiſſam ferre negarit opem?
Non jure irriſum ſic te indignaris in uno;
Cum tot deludant decipiantque dolis.
Spem mentitur ager, cælum tibi ſæpe ſerenum
Impoſuit, fregit portus & ipſe fidem.
Aut ſimul hæc odiis durus complectere: vel, ſi
Nolis, cur uni parcere, inepte, negas?

Sed hæc hactenus. Nolo, ait Gallonius, inhumanitas cujuſquam mihi hilaritatem meam, & cœnæ curam eripiat. obſonatum eamus; &, quo intelligatis, nullam

cujuſquam injuriam poſſe meum mihi morem excutere, volo vos hoc veſpere unctius quam antea nitidiuſque accipere. Itaque progreſſi in forum, polimenta agnina, pullos, piſces, ac ſcitamenta plura coëmimus, redimus, cœnamus, ac cœnati cubitum imus. At Gallonio ira, ex ingrato heri ſui animo excitata, ſomnum avertebat; atque has identidem ab eo voces eliciebat: Quam multa in ſervitute iniqua expetunt! Opulento homine, eodemque iniquo, nihil eſt deterius; ingrato nihil impenſius. Populo nihil pernicioſius, quam Princeps munificus malis, avarus probis. Virtus ibi corruit, ubi, ſi quid recte cupiam facias, perit. Semper virtutis præmia apud improbos erunt, ſi iis, quibus ea ſunt in manu, nulla ſit fides. Qui ſervit ingrato, piſcatur in aëre, ac rete jaculo apros in mari venatur. Sereni hyeme cæli, & æſtate nubilis inſtar eſt dives, qui large pauperi blandus eſt verbis. neutri enim fides habenda. nam mutantur extemplo. Nequit ibi durare vir probus, ubi malevolentes ſunt, quique bonis invideant. Potentiorum animis nihil obſcurius: advertunt graviter, quæ non cenſeas: iram ferunt, cum pacem credas: malevolentiam, cum amorem exiſtimes. At P. Æmilius, dormiendi quam philoſophandi cupidior, Quid tu, inquit, cum iſtis tuis ſapientibus dictis? aut tace, aut dormi. nihil eſt opus lamentationibus ubi ad lapides loqueris. iniqua eſt concertatio, quæ cum valentiore ſuſcipitur. indigna digna ſunt habenda quæ faciunt heri. irritat crabrones, qui opulento faciem obvertit. ſtultitia eſt, ei te eſſe iratum, cujus poteſtas plus poteſt. non decet ſuperbum eſſe eum, qui eget alterius. Immo, excepit Gallonius, ſis confidens oportet, ſi de te meruit bene. Miſeria eſt, intelligere, eſſe ingrata alteri, quæ benefeceris. Improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere, non autem reddere: perfidus, qui dives eſt lingua, inops opere, ſubleſtus fide. Malefactorem eſt amitti ſatius, quam beneficum deſeri. Exprobratio beneficiorum, ſubjecit Æmilius, non mutat ingratum, ſed deteriorem facit; non mitigat, ſed incendit; non ſanat, ſed exulcerat. Animum compone, ſi ſapis: animus æquus, de recto nunquam ſtatu dejicitur. Summa virtus eſt, ſi uſus veniat, ferre fortiter

malum:

malum: virtus præmium est optimum: virtus anteit rebus omnibus: virtus omnia in se habet. Omnia adsunt bona quem penes est virtus. Iam, inquit Gallonius, philosophatum est satis. Agam ut potero; quoniam non licet ut queo. Diisne adverser? Titanum insaniæ subscribam? Nam potentioribus obsistere, est gigantum more bellare cum diis. Sed, priusquam somnus obrepat, licetne alterum hominis istius factum exponere; in quo sunt omnia, ut mihi videtur, peccata; superbiæ, crudelitatis, avaritiæ? Modo breviter, ait Æmilius. nam quod noctis tempus sit vides. Non accusabis, inquit Gallonius. brevior ero, quam est pomilio. Est inter honorarios istius familiares Nicius quidam Rufus, honesto loco natus, ac litteris deditus; præterea ita fortunæ bonis instructus, ut nihil cujusquam indigeat; qui ante annos quindecim magnis pollicitationibus attractus est ab isto in suam familiam, ut ipsi esset à studiis. nam pudere eum cœperat, omnia fere in ipso pecudis similiora quam hominis. Itaque cupiebat eruditi cujuspiam opera à brutorum similitudine, quantum poterat, abstrahi. At Rufus, cui nulla in re cum aulicis convenit, noluit esse una in unis ædibus; sed alias conduxit, à tergo illis annexas; ac, dynasta sciente, perfodit parietem, qua esset commeatus per culinam ad ipsum. nam, cum ejus domus, quæ instar urbis habet, longe introrsus pertineat, ac fere ab omni parte innumeris privatis ædificiis contineatur; non nisi longo viarum ambitu ad ejus aditum perveniri potuisset: quod Rufo perincommodum cecidisset; hyeme præsertim; quo tempore, singulis fere noctibus, multas apud dominum horas transmittit. Sed ferme in mensibus paucis, quibus hæc acta sunt, lodicula, trita, lacera, quæ in istius barbari hominis supellectili numerabatur, coco surripitur. Quod ubi rescivit, existimans, ab eo commeatu illud furtum egressum, ira percitus, perfossum parietem jubet sine mora restitui. Itaque honesto homini, ac nitidiuscule à puero domi suæ habito, quinquennium fere totum, fuit necesse, quotidie, intempesta nocte, ac sæpe tempestate perfrigida, imbribus maximis, sub Iove puro, longis viarum anfractibus se domum recipere. qui nulla con-

ditione tantam in se contumeliam atque contemptum suscepisset, nisi in tam maledica civitate inconstantis hominis famam pertimuisset. Sed censeo quiescamus.

LIBER VI.



Ostquam aurora illuxit, lecto surreximus: &, cum abeundi tempus instaret, profectionem adornare instituimus. Itaque lineas vestes ac laneas emimus. ad hæc, ne eodem ac remiges vino uti, ac nautico pane semper vesci nobis esset necesse, vina optima, siligineos panes, pernam, laridum, sumen, farcimina, atque alia id genus edulia congessimus. relinquebatur zona pene inanis à pecunia. Re adeo iter habentibus necessaria, hæc quoque data est opera à nobis, ut impleretur. Quocirca smaragdos, chrysolithos, adamantes, margaritas, & alias ejusmodi gemmas, quas Roma detuleramus, habere venales cœpimus. Quibus inspectis, Gallonius, Meæ, inquit, erunt partes, efficere, ut quanti plurimi isthæc vendatis. nam eorum precia, quæ Romæ fortasse ob eorum numerum jacent, hic ad summum hominum luxuria cupiditasque perduxit. etenim tota hæc insula, ut vino, oleo, tritico, auro, & argento abundet, ab his tamen deliciis sane nuda est & vacua. & raro huc mercatores commeant cum ejusmodi mercibus. Sed opus est conciliatore aliquo, qui emptorem adducat. At ego dabo vobis intercessorem, quo omnes ad ejusmodi venditiones utuntur. Sed properato opus est, ut eum domi opprimamus. Nos dicto audientes, addimus gradum. Sed properantes Aridi academici servus offendit, ac, Salvere te, inquit, jubeo, Galloni. Quo te agis? quid sibi vult ista tua tam præpropera festinatio? Ad ædes, inquit, Zanchæ vicini tui (id enim proxenetæ illi erat nomen) me confero; ita nunc subito objectum est mihi negocium, ut eo convento opus sit. At volo te, ait, itineris hujus laborem lucri facere. non est domi. At, si tantopere conventum eum expetis, quid meream, si ostendero, ubi parvulo labore,

labore, nullo errore reperias? Cedo, inquit Gallonius, ubi sit; neque occupatis moram injicias. Reliqui eum nuper, ait, in officina Natalicii aurificis, ad medium Ianum. Sed rectius feceris, si placide ambulaveris, neque te ob hanc causam ruperis. nam illum audivi, cum diceret, se multas horas ibi futurum, Pamphilo operam daturum, qui uxorem duxit. Quid ais? inquit Gallonius. Pamphilus uxorem duxit? Certe, ait ille. Et, quod magis mireris, fabri lignarii filiam in matrimonio sibi conjunxit. Sed rem omnem ex ipso comperies. nam palam omnibus narrat. Habeo tibi, inquit Gallonius, magnas gratias. Sed quo iter est tibi cum his tabellis quas gestas? Defero eas, ait, ad Thersippum dynastam, quem herus meus invitat in villam quam habet in agro qui Cinnus vocatur. At licet eas tibi legere si velis. sunt enim versibus scriptæ; neque præterea arcanum aliquod continent. Libenter, inquit Gallonius. Acceptasque mihi tradidit. Quas attente dum perlego, Æmilius in pugillaribus, quæ habebat ad manum, excripsit.

Thersippe, & studiis, & meritis potens,
Incessanti adhibe vim sapientiæ,
Ac, te respiciens, qua strepitantibus
Humet Cinnus aquis, impiger advola.
Quid curis animum solvere parcimus?
Vt gestit volucris, functa laboribus,
Silvarum in viridi ludere vertice;
Sic constricta diu mens volitare amat,
Non implexa operum nexibus arduis.
Illic non lapide alta extruitur domus;
Non auro paries, non laquear nitet:
Sed parva atque habilis temporibus casa
Subsidit, viguit cum probitas magis.
Te virtus facilem reddidit; & potes
Æquus delicias ferre potentium,
Despectamque inopum pauperiem pati.

Has ego litteras, semel iterumque perlectas, reddidi servo qui tradiderat. Qui, valere jussus, persecutus est iter quod susceperat. Nos pedetentim ac placide, ex illius consilio, petere Ianum cœpimus. Sed, in eundo, libuit mihi percontari ex Gallonio, quid hominis hic Thersip-

pus esset? num litteratus, cui docti homines scriberent, num ruris amator, qui villarum amœnitates persequeretur. Atqui, inquit Gallonius, hic est vir, suo judicio valde sapiens, sed, aliorum existimatione, non stultus. præstat ingenio, notitia antiquitatis, juris Civilis scientia. verum hæc ille majora multo existimat esse, quam quanta in ipso existant. nam facie, vultu, admirando irridendoque, persuadere conatur, in ejus labris eloquentiæ deam hærere, atque in ipsius pectore Jurisprudentiam, tanquam in arce, regnare. attamen litteratis juris, qui honoris eum causa sectantur, præbet se benevolum, & amantem: sed ejus hæc in illos voluntas tantum intra verba concluditur, ac raro, vel nunquam, ad facta digreditur: & vix unus aut alter invenitur, qui ejus auctoritate vel gratia ad divitias honoresque pervenerit. Sed eccum, ipsius adest, atque ille est quem gestatoria inclusum sella deferri videtis. Erat æstas summa, calores maximi; & tamen sella ferebatur, ita ab omni parte clausa, ut nihil esset ad omnes cujusvis auræ vel levis incursus magis munitum ac tectum; solum ad accipiendam lucem binæ hinc & illinc & in fronte fenestellæ, crystallis tamen obductæ, patebant; ipse vero multis sibi caput velis devinxerat, ac pallio corpus diligenter involverat. Nos exquisitam hominis diligentiam in frigore propulsando mirati, ac prope medium Ianum emensi, eo loci devenimus ubi proxeneta ille dictus est esse; atque eum invenimus, medium inter duos sedentem, cachinnos effusissimos edere. Prior occupat Gallonius, ac salvere eum jubet; gemmas explicat, atque, emptorem ut inveniat, rogat. Ille in manus sumit, inspicit, laudat, &, Commodiorē, ait, hominem & adventum non vidi. nam hodie instruendus est mihi Pamphilo mundus muliebris, quem mittat uxori quam duxit. Audivi, inquit Gallonius, ac miratus sum, adolescentem, adeo locupletem ac nobilem, ad eam humilitatem descendisse, ut fabri lignarii filiam pro uxore velit habere. tantane hodie conditionum penuria laboratur? Ita, inquit Zancha, sese res habet; fieri aliter non potuit; vis eum coëgit. At quæ vis, ait Gallonius, cogit, ut quam nolis accipias? Res est ridicula, inquit ille, ac modo istis

narrare

narrare occeperam. Repete, nisi molestum est, ait Gallonius. nam gestio audire. Date igitur operam, inquit. Sed conantem dicere juvenis antevertit, qui, ex improviso, erumpens, his Natalicium dictis aggreditur. Quid, obsecro, mulieris mihi in matrimonium dedisti? qua muliere nulla alia est flagitiosior ac nequior. modo pene eam cum adolescente nescio quo caput limantem oppressi. At si mihi post hunc diem aliquid tale suboleat, faxo foris vidua te patrem suum invisat. Qua re Natalicius non mediocriter perturbatus inquit; Adeone mirum tibi videtur, si intemperanter mulier adolescens facit? paucas quippe invenias, quas adolescentiæ æstus in has delicias ac blandimenta non abstrahat. non possunt hæc ab adolescentia sejungi; quæ etiam simul cum ea deflorescunt ac desinunt, interea sine ut det aliquid temporis ad ludum ætatis. Sed, quantum audio, matrissat. nam, quæ mater ejus, uxor mea, lusit ad hunc modum, potuerunt populo viritim dispertiri: nunc autem, ætate confecta, ita est aliena ab his nugis, ut nulla sit æque castior ac melior materfamilias. Adolescens nihilo hac responsione placatior factus, nescio quid mussans, pedem retulit. Quo abeunte, sic orsus est Zancha.

Est in hac urbe Baldoccius quidam, ad Forum Apollinis faber lignarius, fide, ac simplicitate magis ad veterem illorum hominum famam, quam ad eum morem qui nunc increbuit, referendus: neque, quod in eo reprehendas, quidquam invenias, præter studium vini, quo adeo tenetur, ut horam abire nullam sinat, in qua, ut ipse loquitur, non heminam saltem vini intestinis aspergat: ceterum nihil in eo simulatum, nihil fictum; contra, nuda & aperta sunt omnia. Vnde fit, ut opportunus injuriæ habeatur. siquidem, cum omnibus sua consilia credere, fidem habere, depositum nullo teste reddere solitus sit, à veteratore aliquo circumventus, sæpe decipitur. Hic habet in matrimonio Antinam popularem suam, non magis vitæ societate, quam morum similitudine sibi conjunctam. nihilo enim est suo viro acutior, nihilo ad cavendum instructior. quæ affinitatibus conciliandis, mundis muliebribus æstimandis, novis nuptis ornandis sectandisque locat operas suas. quo fit, ut fere

eam ſemper domo abeſſe contingat. Hæc unicam ex Baldoccio ſuo filiam habet, Tenſa nomine, omnibus quidem gratiis venuſtiorem, ſed improbitate atque nequitia veteratori cuivis facile parem. nam ſupra quam credi poſſit, eſt cata, confidens, audax, fallax, loquax; habet os, linguam, perfidiam, malitiam; ſimulare ac diſſimulare omnia parata; inficias ire, ac jurejurando ſuo vincere, ut nec vidiſſent homines quæ viderant, neque feciſſent ea quæ fecerant. Hanc, ita ut deformavi, plenæ maturitatis virginem, parens uterque, foras abiens, id quod minime opus erat, ſuperioribus menſibus ſolam domi relinquebat; ſatis à prædatoribus corporis fore tutam pater exiſtimans, ſi tabernulæ ſuæ oſtio, digiti unius craſſitudine, perticam tranſverſam objeciſſet. Sed, tanta hæc, tamque munita præſidia, contra hoſtium inſidias haud ſatis tuta fuiſſe, res ipſa oſtendit. nam Pamphilo, adoleſcenti, ut noſti, longe lepidiſſimo, pervia fuere. Ergo proximis Saturnalibus, cum Baldoccius ſolito maturius domo migraſſet, ut amici cujuſdam ſui vina deguſtaret, nudatum propugnatoribus vallum hoſtis ingreditur; commiſſoque prælio, præda potitur. Quid multa? dum Baldoccius amplis & profundis cantharis potitans hilarem ſumit diem, amatores ad ebrietatem uſque ſeſe voluptatibus explent: neque eo tantum die ſuo obſecuti ſunt animo; ſed deinceps diebus omnibus, qua hora Baldoccius, communito, ita ut dixi, oſtio, in popina aliqua Libero operam dabat: ut non alias tutior intra ea caſtra aditus eſſet, quam cum eſſent vallo munita. Verum kalend. Maji, Baldoccio & Antina domo egreſſis, dum liberius genio amatores indulgent, prope factum eſt, ut manifeſto in flagitio deprehenderentur. Nam, cum adveſperaſceret, neque aliqua ludendi ſatietas eſſet, ex improviſo parentes Tenſę domum adveniunt. Quamobrem magnus adoleſcentem metus invadit. Cui puella, nihil exterrita, Ne pave, inquit; mox tibi fugæ rationem expeditam dabo. unum mihi dolet, quod voluntate mea celerius abſtrahimur. A planicie recta ſurſum aſcendendo, in ſolariolum pervenitur, quod ad dexteram cubiculum habet adjunctum, ad ſiniſtram in culinam exit. ubi tunc temporis tritici ingens

ſaccus

ſaccus continebatur. quo illa cultello diſſuto, amplam tritico ad egrediendum feneſtram aperuit, &, clamore ſublato, Subvenite, inquit; ſaccus à muribus corroſus frumentum omne diffundit. Ac, dum parentes accurrunt, feſtinant, ac fugiens triticum quaſillis excipiunt, adoleſcens vaſa collegit & caſtra commovit. At Tenſa minus eam voluptatem faciens, quæ cum periculo metuque conjungeretur, cogitare ſecum ipſamet cœpit, quanam ratione eam puram ſine timoris cujuſquam fæce perciperet. Et, in regionem ſuarum aſtutiarum ingreſſa, contra parentum ſimplicitatem dolos inſtruxit, atque, ut eſt in excogitando inveniendoque acuta, paucis diebus poſt cum ad ſe Pamphilus veniſſet, ſuamque ex eo voluptatem expleſſet, reverſis ſub veſperam parentibus, mœſtam ſe atque exanimatam oſtendit. Interrogata quid eſſet, non audebat dicere, ſed pro verbis lacrimarum vim dabat. Verum aliquando, coacta, dixit, eſſe quoſdam Lemures, qui humana forma atque figura domos virginum celebrarent atque eas miſere deperirent. unum ergo iſtorum Lemurum à ſe viſum, forma adeo liberali, adeo venuſta, ut nihil ſupra. Cui mater, Quid audio? inquit. vide ne id timor oculis perſuaſerit. Sed Tenſa, Erras, mater. nunquam hilariore animo fui quam cum eum aſpexi. Tum Antina, Bono, inquit, animo es; atque iſtam ægritudinem, quæ te macerat, amove. mihi enim ſpes eſt, poſthac nunquam tuis iſtam oculis larvam occurſuram. Ah neſcis, mater, inquit Tenſa, quam alte ea mihi hæreat in animo. His dictis, ad ea, quibus maxime indigebat, hoc eſt, ad cibum quietemque ſe contulit. Poſtridie revertitur Pamphilus novus dæmon, ſed ex eo genere quos incubos vocant. Qui, ut ſe ad parentes mulieris conciliaret, inaures & torquem novo opere factum Tenſæ reliquit. quæ ipſa lætanti animo parentibus ſuis oſtendit. illi in manus ſumere, contemplari, laudare, & tanquam ex Vulcani officina profecta mirari; jamque ſe adigi ſentiebant, ut tam elegantem ac tam liberalem dæmonem abſentem diligerent. Sed dona perpetuando aſſecutus eſt Pamphilus, ut nihil eiſdem ſe carius exiſteret. Antina, ut mos eſt mulierum, ardebat cupiditate incredibili ejus lemu-

ris conſpiciendi. ſed paululum timore perterrebatur. verum, tum frequentibus Pamphili donis, tum filiæ oratione confirmata, quæ de ejus forma ac venuſtate mira narrabat, ſuis eum oculis videre conſtituit. Eſt, ut probe noſti, Pamphilus annos natus undeviginti, capillo ſubcriſpo, nigris oculis, candidiſque genis leviter rubore ſuffuſis; ne tenue quidem barbæ veſtigium inhæret; præterea veſtitu ornatuque corporis, prout ejus opes ferunt, quæ ſunt ſatis amplæ, ſemper excultus. Quamobrem ſimul ut Antinæ pervenit ad oculos, Hui, quam eſt elegans! inquit. ubi ſunt, qui totum iſtud genus Lemurum forma eſſe horribili prædicant? jam pol, ſi ad iſtam faciem ſunt omnes, nihil moror, quo minus quantum eſt ubique Lemurum meam in domum immigret, ne ſemper cadaveroſam Baldoccii mei faciem neceſſe habeam aſpicere. Sed jam Baldoccius rem apud vicinos omnem divulgaverat, de amoribus Lemurum, de ipſorum donis; miroſque de ſua ſtultitia ludos ſermoneſque præbebat. Interrogatus, an dæmon hic cornibus præditus eſſet, Quid, malum, inquit, vobis venit in mentem cogitare iſtuc de eo quo non facile quidquam dixerim me vidiſſe in vita venuſtius? At hoc ridiculum eſt, inquit alter, quod, cum ipſe cornibus careat, te cornutiſſimum faciat. At te magnus perdat Iuppiter, inquit Baldoccius, qui umbras aëre ventoque conflatas humano more concumbere exiſtimas. Quid ſi, excepit alter, ventus hic maſculus filiæ tuæ ventrem impleverit? quid dicturus es? Alii, quos Baldoccii ſtultitiæ miſerebat, pro amicitia & vicinitate eum, ut magnam infamiam fugeret, admonebant, & ſycophantam illum domo fuſte quantum poteſt ejiceret. Hos ille ex invidentia loqui dicebat. è re enim ſua eſſe, ut non unus modo, ſed mille etiam Lemures domum ſuam incolerent. Tum, Tu igitur, inquit unus, ob leve neſcio quod lucrum tantum in exiſtimatione tua damnum accipias? at vide, ne, ubi filiam dare nuptum voles, hæc mala illi umbra plurimum obſit. neſcis quantum fama ad conciliandas nuptias valeat? Cui Baldoccius, Tace, inquit, inepte? non tu nunc mores hominum vides?

Quojusmodi hic cum fama facile nubitur?
Dum dos sit, nullum vitium vitio vortitur.

Quid opus est verbis? Baldoccio persuasum erat, posse antea asinos volaticos esse, quam ullum sibi filiæque suæ dedecus ab umbris, quæ aëre ventoque constarent, inferri. Sed opinionem suam fefellit eventus. nam aër ille in humorem crassum carnosumque conflatus, Tensæ præter modum ventrem inflavit. Ac primo persuasit parentibus, non in visceribus, sed in cute morbum hærere, atque aqua inter cutem laborare se dixit. Tum, cum partus instaret, matri veram morbi causam aperuit. sed ejus culpam non ad dæmonem illum familiarem suum, nec ad virum aliquem, sed ad somnium quoddam referebat. menses enim abhinc septem se meminisse somniare, ab adolescente quodam comprimi, atque ab ea die paulatim ventrem intumescendo ad eam altitudinem excrevisse. Antina, tametsi stulta est, ac mater, non continuo huic fabulæ assensionem adhibuit; sed, ut quemque vel medicum vel amicum occurrerat, statim, num virgo absque ullo concubitu prægnans fieri posset, interrogabat. Cui alius aliud respondebat. Erat tamen nonnemo, qui diceret, num, quod vigilans filia passa esset, somnio tribueretur? Cui illa, Cave, inquit, istuc de filia mea tibi veniat in mentem, qua ne columba quidem ulla est purior nec sanctior. Tum ille, Quasi columbæ, ait, parere non soleant! Ne multa; tantisper Antina suspenso incertoque fuit animo, donec columbum columbam ineuntem intuetur. nam, cum ad rimulas ostii, quid intus geritur, aucupat, videt id, quod jam pridem, nisi stulta esset, intelligere potuisset; ac tum demum, quo ex Orco Erinnys illa prodiisset, animadvertit. Itaque dolore amens, clamores tollere, popularium fidem implorare, impurissimum sycophantam, familiæ suæ pestem, corruptorem filiæ, manu tenere se dicere. Hic vicini omnes accurrere, adolescentem objurgare, qui tam impudenter honestos homines luderet, & virgini ingenuæ vitium afferret: ad hæc minas addere; carcerem & prætorem objicere, qui ejus supplicio injustam optimis viris infamiæ notam elueret. Scitis quam parvo momento adolescentis animus huc illuc impellitur,

pellitur. Sed Pamphilum non tam illorum minæ, quam Tensæ amor consuetudoque, movebat; cui amori, nisi prospectum interea esset, dissidium, distractio, vastitas imminebat. Qua re permotus adolescens, locuples ac domi suæ nobilis, eo descendit ut fabri lignarii filiam sibi in matrimonium dari deposceret. Quam statim Baldoccius eidem spopondit. Sed videre videor jam diem illum quo adolescentem hujus matrimonii pœniteat. At non erit illi difficile, inquit Gallonius, ab eo discedere cum volet, atque alteram genere, copiis, & existimatione sibi parem adjungere. Quod ego admirans, Audieram, inquam, matrimonia hic esse perpetua, ac tantum morte dissolvi. qua igitur via hoc nefas aggredietur? Ea, inquit, quæ multorum jam trita itineribus patet, quamque Antiphila nuper inivit. nempe, si testibus planum faciat, eas nuptias non rite, nec legibus, sed vi, metuque fuisse conjunctas. nam prætor vim factam restituit. Quid audio? Natalitius ait; Antiphila vidua est, viro superstite? ea, inquam, Antiphila, quæ Demophonti aromatario nupserat? Ea ipsa, inquit Gallonius. Etenim, cum, sæpius in adulterio deprehensa, à viro verberaretur, quadriennio post, quam in viri manum convenit, commenta est, matrimonium illud metu fuisse coactum: ideoque dissolvendum dirimendumque curasse: quod statim perfectum est, scribæ cujusdam opera. Cujus sane ordinis ad hæc atque alia nefaria perpetranda improbissimis hominibus plurimum prodest audacia. Sed tanta nos voluptate affecerant docti Tensæ doli, & ad decipiendum tam scite instructa in corde consilia, ut exclamarem, Pluris est, ô Zancha, tua isthæc lepida atque jucunda narratio, quam gemmæ, quibus nobis opus est venditis. Si ita, inquit Zancha, tibi videtur, cedo gemmas: atque illud insuper redde, quo minoris sunt gemmæ. Sed vos arbitror ludere, neque huc logos emptum tanto precio venisse. Sequimini igitur me. Manuque prehensos duxit in forum, jussitque numerari nobis à trapezita tria talenta magna argenti. Nos læti, quod mercimonium nostrum tam lepide processisset, ac referti pecunia, domum regredimur.

Sed redeuntes in turbam incidimus. Nam dynasta Orius,

Orius, qui erat etiam sacerdos Cereris, sacra eidem facturus in ejus fanum solemni ritu prodibat. Præcedebat familia ejusdem tota, & in ea alii honesti viri complures, qui eum honoris gratia sectabantur. Proximi veniebant ministri. quorum alius urceum, alius pateram, alius acerram plenam thuris ferebat. Hos sequebatur flamen amictus læna; &, quacunque iter faceret, dabant illi viam nobiles atque plebeii; aperiebant capita, & procumbebant in genua. In his, qui de via secesserant, agnovimus aliquot, qui triduo ante in illo eruditorum conventu magnam ingenii laudem erant adepti. Ipse vero flamen erectus ac celsus nemini se dabat, omnes æque despiciebat. Erat inter plebeculam, quæ ad visendum accurrerat, tunicatus unus, cum castula scortea, præcinctus zona, ad quam ferramenta multa pendebant, videlicet malleus, forceps, scalprum, sacculus plenus clavorum. Hunc Flamen, ita ut erat ornatus, ad se vocat, sibi comitem addit: interrogat, quid rerum agat, ut valeat, num equo, quem ipse curandum locaverat, dolores pedum remisissent, num aliqua salutis spes esset. Quod ego vehementer admirans, Cur hic, inquam, Galloni, vir summus, tantoque sacerdotio præditus, quo tempore, pontificiis insignibus ornatus, rei omnium gravissimæ daturus est operam, tot honestis viris contemptis ac spretis, pannosum hunc eligit, quicum eat in via ac sermones instituat? Quæ tam inter se distant, quam Pontifex & faber ferrarius? Quid tam alienum ac discrepans, quam læna pontificis & fabri ferramenta? Equidem nequeo satis mirari rationem istius. Inepta mehercle est, inquit Gallonius, & stulta. Sed quid facias? hic, ut ex ornatu pores conjicere, equos soleis induit. Sed eo more hic vivitur, ut principibus viris longe sit carior equus vel simia, vel aliqua alia nihili bestia, quam quidquid est ubique litteratorum hominum & honestorum. nam, si eorum aliquis æger in lecto decumbat, neque quisquam invisit, neque significatione aliqua ejus sibi salutem cordi esse declarat. at, si equo pes doleat, ecce subito clamores, querelæ: quicunque equos calceant evocantur, vota pro ejus salute nuncupantur, invisuntur; operæ, sumptui, labori non parcitur. Hoc ideo fit, quia

quia homines probi, doctique, nullo sunt honore vel numero; bestiæ in precio habentur. Possum illud addere, quod in hac Republica omnia ea munera, quæ debentur industriæ, amicitiæ traduntur & gratiæ. nam si, verbi causa, eligendus sit aliquis ab epistolis, vel à cognitionibus, non continuo ille conducitur qui sit eloquentissimus ac doctissimus; illum conducunt potius quem amicus commendet, vel utilitas usúsque suadeat. Quo fit, ut istorum epistolæ ac judicia, id quod minime ipsi laborant, ab iis irrideantur apud quos hæc studia vigent. Tum ego stomachans, Eamus, inquam, domum, ac jentaculo nos reficiamus. pudet enim diutius in hac urbe versari, quæ pejor est ea quam fugimus. Venimus igitur domum, mensulam appositam invenimus; decumbimus. Paulo post adest à nauclero nuncius; qui magnopere ejus verbis nos admonet, ut, si ituri sumus, eamus; ventum operam dare, ac nos solos esse in mora. Quamobrem consurgimus, vestes acceptas à Gallonio deponimus, nostras induimus, & cum eo ad portum una contendimus, navem conscendimus; & Gallonium, semel iterumque complexi, donatum torque, annuloque cum gemma, relinquimus.

Sed vix Gallonius abierat, cum adest pictor quidam, quem Ballionem vocabant, atque opere petit maximo, ut navi nobiscum una tollatur cum muliere, quam uxorem esse suam ajebat. Navarchus, qui eum nosset, quique ejus artificio delectaretur, quamvis plena navi, non respuit; & simul, Quid, inquit, audio de uxore? nonne isthæc est Nice, vulgare scortum? ecquando tibi esse cœpit uxor? Dicam, ait Ballio. Erat mihi cum isthac commercium una cum aliis pluribus. sed decem abhinc dies, cum ab ea noctem emissem, nescio quis deus fuit mihi auctor, ut à meritricio quæstu abductam in matrimonio mihi locarem: atque, eadem nocte, una cum suis rebus, meam domum abduxi: eademque opera ædes illas locandas inscripsi. Postridie mane veniunt amatores. Venit primum Callidius frumentarius. qui ædes videt inanes & inscriptas. quærit, rogat ex iis quibus testibus has compedes indui; (nam, re vera, nihil aliud est uxor, nisi vinculum merum;) ac comperit, eam mihi nupsisse.

Ædepol,

Ædepol, inquit ille, si ita est, tritici decem modii, quos dedi ut hæ mihi fores in hunc annum paterent, ad mariti granarium transierunt. Venit Creopolis lanius. qui carnariis duobus grandibus se circumductum queritur. Adest Thermopota caupo. qui item per hanc rationem vinum, quod esset mulieri hunc annum satis, sibi ereptum fuisse deplorat. Accurrit Harpax decoctor; ac minis quindecim, ex iis pecuniis quas à creditoribus abraserat, se fuisse tactum indignatur. Properant etiam alii mercatores; quorum singulis suam illa operam, mercede accepta, locaverat; omnesque tanquam furi manifestariæ faciunt absenti convicium. Itaque paucis diebus post, in jus ad Prætorem veniunt; universi impetum in eam faciunt; singuli eidem litem intendunt. Sed, cum tam multis non posset obsisti, neque illa è re sua esse existimaret, quod semel in se ingurgitasset, evomere; statuit tanquam oppida hostilia eos habere, hoc est, direptos eversosque relinquere, atque in Geryonis regnum mecum una transmittere. Fecistis eleganter, inquit nauclerus; neque aliter factum oportuit. Ædepol, possunt illi præficas conducere, quæ pecuniæ, quam repetunt, næniam canant.

Erat in eadem navi fœnerator, domi suæ nobilis. qui ex ipsa importunitate atque molestia natus videbatur. adeo erat importunus ac molestus. Hic, tanquam si in amatoribus Nicæ ipse esset expilatus ac deceptus, continuo, ore amarissimo, cœpit inclementissima, tum in Nicem, tum in totam meritricum nationem, dicta dicere, &, Quid mirum est, ait, si perfide, si maliciose, si nequiter, si avare mulier meritrix facit, cui vita est, alterum fallere, ac blandiciis, & illecebris, bonis patriis evertere? Est meritrix tanquam immensa quædam vorago & gurges vitiorum. est meritrix calamitas, quæ prædiorum fructus intercipit. est scopulus, ad quem adolescentium præsertim fortunæ, fama, salus offendit ac frangitur. est profundum, quod fundos ædesque arripit, haurit, devorat. Est mare acerrimum, quod nunquam datis satiatur, neque expletur. immo mare haud æque est avidum, ut meritrix. nam in mare quod influit, occulte relabitur, ut iterum refluat: at in domum meritricis

quod

quod intrat, continuo disperit, neque uspiam apparet. Vultin' experiri? projicite istam in mare: hujus contactu statim mare aquis, tanquam bonis, elaverit; ista illis sese ditaverit: mare exhaustum, evaserit; isthæc, nondum expleta, aliquid etiam amplius hiaverit. Non tulit Ballio insolentiam hominis atque fastidium. Ecquid tibi, ait, à muliere ista debetur? ecquid tibi venit in mentem non recte in illam dicere? qui alterum incusat probri, eum ipsum se intueri oportet. Tanquam non isthæc, quæ loqueris, & multo etiam majora, in fœneratorem conveniant! Si illæ sunt avidæ; vos estis hiantes: si illæ procaces; vos perjuriosi: si illæ teterrimæ; vos sacerrimi: si illæ sunt gurgites; vos estis barathra: si illæ sunt mare, vos estis orcus, qui cuncta in se congerit, nec quidquam regerit. Quod autem, quidquid illis datur, non appareat, edacissimæ vestræ pecuniæ perficiunt, quæ, intolerabili à vobis mercede locatæ, quidquid attingunt, devorant. nam ubi miseris ætas, morbus, vel aliquid ejusmodi, quæstui modum facit, aurum & argentum, quod amatores congesserant, ad vos advolat, pignori opponitur: sed, cum immanissimi illius fœnoris solvendi facultas non suppetat, pro fœnore, & pro sorte, quod est allatum, abripitur, & in vestrum profundissimum barathrum, nunquam inde emersurum, immergitur. Itaque, si meritrix est mare; vos estis vorago, quæ mare ipsum absorbet: si illa est pernicies adolescentium; vos estis lues quæ æque utrisque infesta desævit. Non pertulit homo elatus & iracundus has tanquam verborum faces, quas ipsi Ballio admovit; sed graviter exarsit, ac superbissimas acerbissimasque in eum contumelias effudit. At Ballio, qui nihil hominem metueret, una cum uxore, conatus est in os seni involare: sed nos non permisimus. Verum nihil ægrius est factum, quam ut ab insolentissimo illo fœneratore manus abstinerentur.

Sed, sublatis discordiis, consecuta est hilaritas jocusque. Nam pictorem illum navarchus rogavit, ne gravaretur exponere, de peregrina nescio qua, quemadmodum res sese habuisset. Qui statim, Cum venissem, inquit, Aspim, ab oppidi illius domino conductus, ut ambulacri cujusdam parietes picturis vestirem, accessit eodem

dem Lyus, notiſſimus Cynicus, ſummus rerum humanarum contemptor, ac vitiorum inſectator acerrimus. Qui cœpit crebras ad cives conciones habere, ac loqui liberius de eorum improbitate atque nequitia. At cum oppidi dominus, ejus ſe objurgationibus in primis expeti intelligeret, lectica impoſitum, ditionis ſuæ finibus ejiciendum eum curavit. Verum ita illinc diſceſſit, ut magnam ſanctitatis innocentiæque de ſe opinionem apud omnes relinqueret. At poſtridie oppidum illud intrat peregrina virgo, Veſtalis habitu: non ex genere earum, quæ communium parietum ſeptis incluſæ, ſeorſum à reliqua turba ævum agunt: ſed ex illarum numero, quæ libere, qua lubet, incedunt; quo nimirum oſtendant, poſſe etiam inter virorum cœtus caſtitatem & ceteros laudabiles mores coli. Huic virgini Minervæ ſigillum, ex ære, tanquam crepundia, in collo pendebat. Vnde apud omnes magnam de ſe caſtitatis opinionem concitabat. Quam etiam majorem faciebat ex eo, quod ſe ſororem eſſe Lyi ſimulabat, atque clariſſimas orbis terrarum peregrinationes ſuſcepiſſe narrabat. Etenim, ſe veniſſe, ajebat, ad Cererem Ennenſem, ad Apollinem Delphicum, ad Dianam Epheſiam, ad Iovem Ammonium, Dodonæum, denique nullum eſſe locum aliqua deorum immortalium religione prædicum, quem non ipſa adiiſſet, luſtraſſet, venerata eſſet. Itaque, tum pro eo, quod Philoſophus ille magno erat apud omnes honore ac nomine, tum etiam ob tam inſignes ab ipſa obitas peregrinationes, quarum notitiam non aliam habemus præter eam, quam ex Latinis monumentis accepimus, fiebat, ut ſumme ab omnibus expeteretur, ac certamen eſſet inter mulieres nobiles, quænam earum prior hoſpitio illam acciperet, convivam ſibi adhiberet, ſuum in cubiculum, atque adeo ſuum in lectum, dormitum adduceret. putabant enim, ex virginei illius corporis contrectatione ſibi etiam poſſe ſanctitatis ejuſdem quidpiam hærere. Quid verbis opus eſt? ſummæ cujuſdam gloriæ inſtar habebatur, ſaltem una ſemel nocte cum illa concubuiſſe, ut etiam, quibus id minus contigiſſet, de hoc falſo gloriarentur. &, quod magis miremini, inter Veſtalium ſepta, ſumma

cum earum Antiſtitis voluntate, intromiſſa, aliquot ibi noctes exegit. Sed tandem, memor aliarum urbium, quarum etiam mulieribus caſtiſſimi ſui corporis copiam fieri æquum eſſe exiſtimabat, cœpit profectionem ornare. Hinc mulierum earum lamentationes, hinc fletus exorti: quæ mulieres, multo quam par erat celerius, illud ſibi ſolatium eripi querebantur. etenim jucundiſſima illius conſuetudine nequaquam ſe eſſe ſatiatas clamabant. Sed earum querimoniis aures obſtruxit, ſeque in proximum oppidum contulit, Baſilico nomine. Vbi vidua quædam primaria portarum cuſtodibus in mandatis dederat, ut, ſi quam mulierem, peregrini habitus, pedem intro ferentem aſpexiſſent, continuo ad ſe domum adducerent. Hæc, genere, copiis & exiſtimatione ſuorum civium facile princeps, aliquot diſpoſita domi ſuæ cubilia habebat, ubi peregrinis mulieribus hoſpitium præbendum, pedes abluendos, cœnam dandam, lectos ſternendos, curabat. Hoc igitur novum ſanctitatis prodigium ſimul aſpectum & ad viduam deductum eſt. Vbi, cum cognationem, qua Lyo tam arcte implicabatur, & clariſſimas illas à ſe obitas peregrinationes frequenter in ore haberet, perducta eſt in conſpectum ac colloquium piiſſimæ illius fœminæ. Quæ adeo caſtimonia ſanctiſſimiſq; illius ſermonibus delectata eſt, ut noctu, excluſa ancillula, quæ in ſuppedaneo apud ejus pedes lecto cubitabat, peregrinam introduxerit, atque in illo eodem ancillari lectulo collocaverit. At bona peregrina, mediam circiter noctem, cum ex ſcreatu ab oculis viduæ ſomnum abeſſe cognoviſſet, cœpit, dentium ſe invicem verberantium fragore, ſummum corporis totius horrorem aſſimulare; &, interrogata quid eſſet, ſe ſubita correptam febri lethale totis artubus frigus concepiſſe reſpondit. At vidua, miſericordia capta, ſuum in lectulum venire eam juſſit, ſecumque ſtragulum, & ceteras veſtes, quibus tegeretur, afferre. Quæ non eſt paſſa ſe iterum rogari, ſed confeſtim, dicto audiens, viduæ lectum inſcendit. Sed illam non ita multo poſt ſopor rurſum invaſit. Rem miram, extemplo ſanctiſſima illa peregrina, ex pudica virgine in ſalacem virum converſa, tanquam admiſſarius quidam equus, conatus eſt dormien-

mientem opprimere. At illa, eo conatu experrecta, Quid est hoc? ait. Cui novus hic vir, Recte, inquit. pone metum. ego, ut me tibi indicem, vir sum, qui hoc ornatu urbes circumeo, ut mulieribus, libidine incensis, sed propinquorum vel exstimationis metu in officio retentis, sine cujusquam offensione animum expleam. Quid putatis lectissimam fœminam in eas angustias comprehensam egisse? quid consilii cœpisse? num fortasse animum despondisse, vel, quod cuivis ineptæ venisset in mentem, clamores extulisse, vel popularium fidem imploraſſe, unde concursus vicinorum fierent? Nihil horum. sed hilari fronte, Bene agis, inquit. dii tibi multa dent bona pro hac in nostrum genus misericordia. Sed non te pigeat hic paulisper manere, dum corpus abluam. jam diu enim factum est postquam non lavi, neque enim olim, nisi lauta solita eram viro operam dare. Atque eadem opera ancillam quantum potest hinc abigam, ne quid persentiscat, vel indicium faciat. Tum revertar ad te, ut occasionem tam lepidam mihi in sinum delatam arripiam. Ac, lecto desiliens, ancillam convenit, admonet, ut unum ex familiaribus excitet, qui, subucula ac soleis tantum indutus, ne ceteras vestes sumendo tempus terat, curriculo ad prætorem se conferat; eumque suis verbis oret, ut lictorum ad se cohortem mittat; rem esse flagitiosam, turpem, ac dignam cui quam primum obviam eatur. Ille advolat, rem narrat; prætor non procrastinat, ire lictores jubet. qui veniunt, ac sycophantam illum comprehendunt, vinciunt, in carcerem abstrahunt. Ne multis morer; quæstione habita, post triduum, pannosi habitu, ad supplicium datur, hoc est, homini suspendio vita eripitur. Cujus facti rumor cum ad nos permanasset, ego, quo certior fierem, clam Basilicum usque me contuli. unde reversus Aspim, ut quemque eorum aspexeram, quorum uxores gloriabantur se dignas fuisse habitas quæ vim illam sanctitatis atque pudoris lecto exciperent, oscularentur, contrectarent, continuo ajebam, O te felicem, in cujus domum boni tantum contigit immigrare. ille negare factum: ego instare factum. sed ideo id eum inficiari, ne mihi invidiam faceret. Atque, in eadem dissimulatione perseve-

rans, nullius rei me tam pœnitere affirmabam, quam quod ejus imaginis formam non in pluribus tabulis descripsissem, easque venales habuissem. Nam pro numero emptorum, ajebam, ac pro vestra in bellissimam illam virginem pietate, totum hunc annum opus mihi non defuisset: quamobrem brevi ad magnas pecunias pervenissem. Ne multa; omnino nemo inveniebatur qui sycophantam illum pedem intro in suam domum tulisse, confiteretur. Non magis attente, quam hilariter, lepidum sycophantæ illius commentum acceptum est, quod invenerat, ut mulierum, quæ ubique sunt gentium, potiretur: fuitque non nemo, qui felicitatem illam homini invidisset, si eidem diuturniorem eam esse licuisset.

LIBER VII.



Am valido, quemque maxime optaveramus, vento, in altum delati, placido tranquilloque mari adeo delectabamur, ut, quemadmodum de Achivorum exercitu Pacuvius inquit, læti piscium lasciviam intueremur: cum subito, adversa coorta tempestate, eundem in locum rejecti sumus unde discesseramus. sed Neptunum arbitror fluctus commovisse maritimos, quod certi cujusdam senis, Ligurino nomine, qui nobiscum una vehebatur, fastidium insolentiamq; perferre non posset. Huic, supra quam dici potest, moroso atq; difficili omnia exhibebant negocium; volatus avium, auræ sibilus, remigum laborantium in reddenda anima sonitus; quibus etiam minitatus est crucem, si ita respirassent ut aliquis ejus ad aures sonus veniret. Toto illo navigio una cum servo prosecutus est culicem, qui dormienti sibi in aurem insusurraverat. Multa alia prætereo, ne sim longior, quibus odium illud propemodum nos enecavit. Nobis igitur, ita ut dixi, in litus expulsis, ægre impetratum est à navarcho ut liceret Gallonium invisere. nam se velle, ajebat, simul ac contrarius ille ventus consedisset, navim solvere, neque diem posterum

rum expectare. propterea properaremus redire. Quamobrem fine ulla mora ad ædes Gallonii venimus per angiportum, qnod ad eas recta ferebat. Qui, ut nos aspexit, majorem aliquam esse causam reversionis nostræ existimavit; ac, dimisso Plusio Accipitre, de quo supra commemoravimus, ejns reversionis causam efflagitat. Nos exortam tempestatem, & simul odiosam Ligurini importunitatem exponimus; ac, Si, inquam, iterum cnm eo navigandum sit nobis, nihil est opus carnifice qui animam adimat; satis eam nobis suo ille odio præripiet antequam portum conspicere valeamus. Ne miremini, inquit Gallonius; æque ille est terra marique omnibns, quibuscum vivit, odiosus. atque, ut sciatis, vicinia, in qna nuper habitabat, vota fecit, pro illins abitu, vel potius interitu. nam gallos gallinaceos, qnotquot circa ædes ipsius erant, capiendos interficiendosque curavit, eo, quod interdiu sibi aliud agenti aures obtunderent. præterea insignem canem, qni ob ejns festivitatem ab omnibns diligebatur, quiqne latratu fures arcebat, catapulta è catapultario emissa dilaceravit, causatus, quod ipsi volenti quiescere somnos abigeret, sed re vera, qnod sit odiosus, sævus, truculentns, immanis. Quid? nonne multis persecutus est noctibns noctuam, quæ occentabat fenestram cubiculi, in quo jacebat, quod oscinem eam esse avem diceret, eique, cni concineret, semper aliquid triste prædiceret? itaque, post multos labores, insidiis exceptam obtrnncavit; ejusque caput hastæ præfixum, trophæi loco impostum suis ædibns habuit. At nihil inest in hoc homine, ut sciatis, præter corporis proceritatem, generis splendorem, summamque superbiam. Erat olim etiam dives; sed nnper in mari bonis elavit. itaque nunc trioboli homo est, vel potins nihili bestia. Sed abeat, naviget; deos oro, ut perpetuum hoc illi sit iter. Arbitror, me Plusinm Accipitrem Offuscato reconciliasse. Quid? ajo, erantne inter eos inimicitiæ? Maximæ, inquit, & capitales. Sunt in suburbanis istis arenariæ complures tortuosę, ac labyrintheis flexibus & erroribus similes. in eas abavi horum hominum, religiosissimi mortales, cum palam non liceret, furtim ad sacra Cereri Liberoque facienda conveniebant; eorumque reli-

gionis non pauca etiamnum in his locis vestigia cernuntur. Est antiquitatum istarum studiosus Offuscatus, ut nostis; qui sæpius, omissis ceteris curis, se abdit sub terras, ac dies noctesque integras in perlustrandis locis illis religiosissimis cum voluptate traducit. Plusius, qui potando, edendo, scorta ducendo, rem perdidit, quique cupiat aliquid invenire, si possit, quo vitæ priori reddatur, sibi persuaserat, magnæ cujuspiam utilitatis gratia Offuscatum loca ista humi depressa celebrare, hoc est, thesauris defodiendis operam dare, & magicis eam ad rem artibus uti. itaque ad maximas se posse divitias pervenire existimavit, si in societatem ab eo reciperetur. Nec sibi defuit. nam, die quodam, inventum seducit, abreptaque manu, Dic, obsecro, inquit, quid tibi negocii est sub terra? cur ætatem exigis in arenariis? At ille, Quid putas? delectat me religiosos majorum nostrorum ritus pernoscere. At Plusius, Tace, inquit; quasi nos inter nos nunc primum novetimus, nunquam te tam religiosum agnosci. immo thesauris defodiendis te locupletas. Tum Offuscatus; Quid tibi venit in mentem suspicari, veteribus illis fuisse thesauros? quibus probitas erat pro opulentia, pietas pro divitiis. Nihil agis, inquit Plusius. non sum adeo in nostris annalibus hospes ac rudis, ut non legerim, sanctissimos illos homines scyphis aureis diis libasse, & ad nocturna orgia argenteis candelabris præfixos cereos habuisse. Proinde, pro nostra amicitia, me tibi socium adscribito. gestio enim mihi aliquas pulcherrimi hujus operis partes adsciscere. Offuscatus, cognita Plusii vanitate, lepidos sibi ludos ad omnem voluptatem & ocium esse oblatos existimavit, neque ulla ratione dimittendos censuit. Ac primo cœpit eum rogare, obsecrare, ne se proderet. capital enim facere, qui magicas artes colat. Itaque, Si me, inquit, diligis, si mea tibi salus cordi est, quod scis, nescis, &, quod vides, non vides. Quod autem petis, ut te in societatem recipiam, non meæ sunt istæ partes, sed ad Stylium amicum nostrum pertinent, qui abest hinc millia passuum circiter centum. sed honoris tui gratia perficiam, ut minus horis tribus totum hoc iter conficiat, & ad Iani quadrifrontis templum adveniat. Et gaudeo

deo mehercle hanc à te mihi occaſionem fuiſſe oblatam. volo enim par illi referre, cujus olim cantionibus ferme horis quinque in hanc urbem ex patria ſum extractus. O iſtuc ſi dederis, Pluſius exclamat, magnus profecto vir es. Obſecro, Offuſcatus ait, compeſce vocem, ne clama; abi domum; & cura te, ut, cum eſt opus, ſis mihi præſto ad Ianum; ego cum clavo laminali illic adero. Hic eſt clavus quidam æneus perantiquus, in Aridi muſeo nuper ab eo conſpectus. qui, quoniam characteres quoſdam & notas habet impreſſas, viſus eſt in primis ad eludendum Pluſium idoneus magicæ artis cupidum. Interea Offuſcatus ad Stylii ædes accurrit, qui pridie ejus diei è patria redierat; Pluſii ſtultitiam enarrat; quemadmodum ludos eum fieri velit, exponit. Convenit inter eos, ut Stylius hora ejus diei undecima ocreatus, tanquam ſi tum primum urbem ingrederetur, ante ædem Iani quadrifrontis appareat, atque Offuſcatum increpet, quod ſe minus horis tribus in urbem extraxiſſet. Pluſius maturius, quam erat imperatum, domum ad Offuſcatum venit; urget, inſtat, ut eant; nihil ſibi videri longius, quam dum ex veteri aliquo ſepulcro aulam auri plenam effodiat. Itaque eunt, veniunt. Offuſcatus in æde Iani, in dextero ad lævam angulo, clavum laminalem ſolemnibus quibuſdam verbis à ſe nuper inventis humi defigit: tum ſchedulam laneo funiculo alligatam ad Pluſii collum appendit; in qua inſcriptæ erant litteræ, duo PP. duo CC. & unum R. Quærentibus nobis, quibus fabula narrabatur, id quid eſſet, dixit Offuſcatus, *Pluſius perdidit cerebrum cum re.* Hanc illi ſchedulam imperavit ut ſibi nunquam adimeret, ſed perpetuo eam ſineret tanquam crepundia in collo pendere, ſi vellet caput à Lemuribus ſalvum domum referre. Tum incipiunt deambulare. Multiſque ſpatiis jam factis, ecce tibi Stylius adeſt. Prior Pluſius eum aſpicit; atque illico lætus exclamat, Venit. Eunt illi obviam, reditum gratulantur, ſalvum eum eſſe jubent, ad cœnam vocant. At Stylius commoto ſimilis, Itane, Offuſcate? inquit. ſed ludis me ludo meo: jam non eſt quod tibi ſuccenſeam; ego quoque te olim ad eundem ludificatus ſum modum. Quæ cum ab eo dicerentur, Pluſius Offuſcato

accedens, summisse, O virum summum, ajebat, atque præstantem! ô singularem hominem, ac prope divinum! Sed post mutuas salutationes omnes simul sese Stylio comites addunt. Sed, cum videt Plusius in via, ubi quisque Stylium aspiciat, ire eidem obviam, ac venisse eum salvum gaudere, obstupescere; Offuscato latus fodere, & in aurem, O virum maximum! dicere. Offuscatus, id se moleste assimulans ferre, Parce, inquit, voci; nec me eas perditum. Tum Plusius, Ne time; egone, ait, ut capitis hominem mihi amicissimum, & tali virtute præditum, perdam? me satius est mori. Ne longum faciam, adeo Plusius hæc sibi vera esse persuaserat, ut Crœsi divitias cum thesauris sibi à Manibus commonstrandis non permutasset. Sed, qua homo garrulitate est, non potuit se continere, quin rem totam amico cuidam suo aperiret, qui Stylium optime nosset, eundemque pridie ejus diei, quo Plusius hæc à se visa narrabat, conspicatus fuisset. Atque ille continuo homini data esse verba intellexit; cœpitque eum acriter objurgare, quod id ætatis homo, eoque ingenii acumine præditus, duobus adolescentibus se irridendum præbuisset, ac, si pergeret credere, prope esse, ut ipsum lapidibus pueri insectarentur. Quod ubi audivit, adeo vehementer exarsit; ut propemodum ex ore flammas evomeret; ac sicam rapere, minitari absenti Offuscato; seque vel medio eum in foro obtruncaturum, asserere. Ego, ad eum placandum interpres datus, vix orsus eram loqui de conditionibus pacis, cum mihi orationem eripuit, ac, Tace, inquit. egone ut redeam cum illo in gratiam? dii me perdant, si mihi erit amicus. jam apud me tesseram fregit. abeat, quærat alium, quem ludat. Ego cum hanc viam obseptam viderem, cœpi alia eum aggredi, ac, Vide, inquam, tua isthæc pertinacia te potius, quam inimicum perdit. an nescis quantam tibi potationem, saturitatem, & gaudium eripias? nam promisit, si te sibi placarem, opiparam se tibi cœnam hodie, in qua velles popina, daturum. Neque hæc me ratio fefellit. nam vix popinæ cœnæque mentio injecta est, cum homo, alieni cupidus cibi, & in primis popino, benigne gratiam fecit ne iratus esset, & quo vellem se descensurum spopondit. Sed

dit. Sed properandum est mihi ad Thaumantinm bibliopolam. In cujus tabernam litterati fere omnes sæpe conveniunt. eo enim venturus dicitur insignis philosophus, quem vos non nostis; cui singulare ingeniũ, summa humanarum divinarumque rerum scientia, præterea dicendi vis egregia, ac memoria plane prodigiosa, Teratis cognomen invenit; jamque ab omnibus Teras appellatur. hic bibliopolis imperat, nec, absque illius permissu, aliquod scriptorum genus edi, aut venale haberi, aut importari in hanc urbem potest. Eo illum rogatum, ut amico huic meo, quem videtis, insignis cujusdam voluminis edendi potestatem faciat. Et, quoniam taberna illa propius abest à portu, non arbitror à rationibus vestris alienum, vos illuc venire; quo, cum nunciatum fuerit navim solvi, nihil in vobis sit moræ. Tum amicus ille, qui erat librum editurus, Quoniam, inquit Plusii mentio facta est, volo, si non sit odio, vobis exponere, quemadmodum illi nuper à duobus sycophantis manus adita sit de pauculis aureis nummis, quos unicum egestatis suæ præsidium ad extremos sibi casus reservaverat. Hi sycophantæ, quos dixi, forma insignem puerum nacti, primum corporis obsequio sibi devinxerant; tum quæstus sui gratia ad omnes sycophantias & dolos probe formaverant. Hunc in triviis atque plateis præire jubebant; præeuntem furtim ipsi subsequebantur. Puer, ita uti erat edoctus, ut quemquam offenderat, quem de facie, à puerorum concubitu non abhorrere existimaret, ita salvere eum jubebat: rogabatque, ut aliquem sibi ostenderet, qui se in servitutem reciperet: etenim, domi suæ nobilem, patris sævitia eo redactum esse, ut patriam fugeret, summaque cum inopia conflictaretur; & jam diem unum sine cibo agere. Ille, tum misericordia, tum pueri specie captus, sequi se illum jubebat; ac simul ac eum eo domum intraverat, introrumpebant illi etiam. quorum adventu puer, ut erat præceptum, ligulas solvebat, sibique vestimenta ad pedes ire sinebat. Tum illi, clamore sublato, Itane, ajebant, tu fratrem nostrum natu minimum ad nequitiam trahis? Evocate huc aliquis lictores, qui vinctum hunc ad tresviros trahant. (nam pueris liberis vim inferri nefas hic

grande habetur.) Alter vero, Quid est opus, ajebat, lictoribus? egomet lictorum, ego judicis, ego carnificis partes suscipiam, & corruptorem hunc, ut par est, obtruncabo. Tum vicissim conversus ad puerum, patria quadam severitate. Non te pudet, ajebat, tam insignem generi nostro notam inurere? cedo, quid te ad hanc turpitudinem adigit? num fames? an non suppetit tibi domi nostræ affatim quod edas ac bibas? abi domum, mastigia; nisi tibi dorsum virgis despoliavero, Iovem quæso ut mihi sit semper iratus. At ille miser, inter sacrum & saxum positus, quo judicium vel mortem effugeret, cogebatur se pecunia redimere. Hoc rete capti sunt multi, sed unus in primis, ex insigni Philosophorum familia, quem non est necesse nominare. Hic malacum pallium, vestem lineam, ac multos præterea nummos aureos passus est sibi auferri, quo se tricis illis impeditum expediret. Alter vero, ceteroqui vir bonus ac prudens, sed pueri illecebris in hanc fraudem inductus, non solum coactus est in præsentia nummos dare, verum etiam sancte affirmare, ut, nisi vellet indicari, quoties ab ipsis conspiceretur, quod de industria fiebat fere quotidie, toties senas se eisdem drachmas ad pedes projecturum. Plusius igitur, qua est in his rebus cupiditate, (nam sæpe à matre & ab uxore deprehensus in furto, sandaliis est male multatus,) tanquam famelicus piscis ex hac nassa cibum petitum accurrit. quem illi eodem modo circumventum omni auro, quod habebat, dispoliarunt. Inter hæc ad Thaumantis tabernam pervenimus. Ac multos ibi videmus dispositis in sellis sedere. Quos inter unus, corpore paululum obeso, magno capite, capillo flavo, ore rubicundo, versus nescio quos alteri, qui ipsi assidebat, recitabat. Fusco huic esse nomen ajebant, qui nuper Heroidarum quarundam epistolas, Ovidii ad exemplum, ediderat. Alii duo inter se de quodam adolescente, Pusillo Cæsari nomine, tabe paulo ante consumpto, commemorabant: quem, ingenii magnitudine, rerum maximarum scientia, atque omnis elegantia doctrinæ, cum altero nescio quo conferebant; qui itidem ad miraculum doctus cursum suum transcucurrerat, &, paulo supra hanc ætatem, in ipso ætatis flore decesserat.

decesserat. Sedebat etiam inter eos Vranius quidam, cui summa ab omnibus pingendi laus tribuebatur; ac præsertim artis delineandi primæ omnium concessu deferebantur. neque inter litteratos illos versabatur ut pictor, sed ut litteris præditus. nam eum esse astrologum, mathematicum, poëtam, atque ingenii acumine & inventione non multis modo suorum æqualium, sed superioris etiam ætatis anteire constabat. quanquam, ex invidentia, nonnemo ejus laudibus conaretur detrahere. Ad hunc allatæ sunt ab Arido litteræ, in quibus ille de Merlini cujusdam senis injuria querebatur, qui, neq; rogatus, neque coactus, sed sponte sua, acetum pro flore vini veteris miserat. Hunc esse ajebant senem odiosum, malum, molestum, avarum, contumeliosum, stercoreum, quique femoralia urina ac stercore imbuta quotidie domum ad uxorem referret. Has ille litteras, clara voce atq; distincta, semel atque iterum legit. quo factum est, ut etiam edifcerem, ac, ne exciderent, meum in codicem referrem.

Pictorum lux alma, vale; cui carmina Phœbus
Dulcis & Vraniæ nomina clara dedit.
Vt modo Merlinus ludos me fecerit, audi,
Putidus ille, malus, decrepitusque senex.
Fit mihi Ianiculi supremo in vertice collis
Obvius, & tremula talia voce refert:
Est mihi, si nescis, vinum, quod vincere nectar
Possit, & æthereâ ducere ab arce Iovem.
Ac rogat, instat, clamat, ne sua dona recusem,
Hauriam & è plenis limpida musta cadis.
Torrebat casu misere sitis aspera fauces,
Improbus immerito cum mihi verba dabat.
Nullas necto moras, vacuam sed mitto lagenam,
Quam plenam larga reddidit ille manu.
Toxica, crede mihi, non vina fuere; nec ullum
Tetrius in terris arbitror esse merum.
Namque, rato vinum vacuis committere venis,
Atque avidam sicco pellere ab ore sitim:
Horrendum subito talos it frigus ad imos,
Et prope, præcluso gutture, vita fugit.
Hoc tamen ipsa domus reficit se pallida potu
Merlini, hunc dulci præficit ambrosiæ.

Quæris,

Quæris, tam rigido cur gaudeat uxor aceto,
Et soror, & famulus, filius, atque nepos?
Scilicet hoc miseri firmant munimine pectus,
Intestina gravi ne vomat ore foras,
Hic simul ac muccis & olenti stercore fœdus,
Naribus & stomacho dira venena refert.

His lectis, risus est ab omnibus sublatus. Tum alter; Audite, inquit, aliam comici ac stulti hujus senis ineptiam, vel flagitiũ potius, supplicio dignum. Cum paucis ab hinc diebus in procœtone Bibuli dynastæ una cum aliis multis versaretur, dum ad eum intromitteretur expectans; lepida ac liberali forma adolescentem aspexit. hunc, relictis ceteris, petit, aggreditur; rogat, quid rerum agat, ut valeat, ut crebro scortetur; nunc ei rei tempus esse: admonet ut meminerit non semper eam sibi, quę nunc esset, ætatulam fore. Respondet adolescens, se quidem à morbo valere; sed ægrum esse à crumena: propterea scortum fere nullum attingere. Hoc igitur, Merlinus ait, te voluptate ista omnium maxima prohibet? Bono animo es; inveni quod ames; de reliquo meæ erunt partes perficere tibi ne desit argentum. Ego quoque adolescens fui, scio quid sit rumpi tentigine, & numinis carere. Propterea æquior sum in adolescentes judex. Cura, inquit adolescens, ut sit quod dem. nam arbitror me invenisse quod placeat. est hic in proximo scortillum non illepidum, nec illiberale, ad quod animum jam pridem adjeci: sed negat illa facere mecum mutuum, cui ne teruncium quidem sciat esse, ipsi quod dem. id tibi, si lubet, ubi erit ocium, ostendam. Vel jam est ocium, Merlinus ait. eamus. gestio argentum quamprimum tibi depromere. Eunt igitur una simul, & ad domum cujusdam meretricis perveniunt; pulsant fores: meretrix aperit; intrant: adolescens rogat, illa mercedem postulat, Merlinus spondet. qui interea dum puer scortum intus accumbit, pro foribus servat, & ex vetere crumena tres extrahit drachmas; quas deinde scorto persolvit. eas mulier tristis accepit: nam ex Merlini locupletis hominis liberalitate longe majora expectabat. Verum, cum fere quotidie adolescens cum tribus ad eam drachmis accederet, neque ulla mercedis accessio fieret,

diutius dolorem dissimulare non potuit, &c. Me pol, inquit, ut video, diobolare scortum arbitramini, quod tam parvo conducitis. nunc autem, ut meam sententiam sciatis, tibi, adolescens, edico, nisi ad quotidianas ternæ alteræ coaccedant drachmæ, huc pedem intro non feres. Tum Merlinus, stomachans, Propudium populi, dic, inquit, quantum temporis isthæc tibi opera præripit, adolescentulo quam locas? sane adeo est pauxillulum, vix ut queat æstimari pecunia; ne dum male drachmis tribus compensatum queraris. tanquam si ignorem eandem te operam nummo solere aliis addicere: vel si sit cara meritricum annona! nil hodie est vilius. alio igitur ibimus: eoque lucrum istud, quod negligis, transferetur; tu vero egebis. Nemo fuit ex eo conventu, qui hanc olidi & capularis senis in filiosfamilias sub patre parco & duro liberalitatem & misericordiam cum risu non audiret. Sed, cum unus effusiores ceteris cachinnos extolleret, injecit aliis curam quærendi quid esset quod rideret? Qui rogatus, Famulus ille, inquit, qui ab Arido litteras attulit, revocavit mihi in memoriam ridiculum ejus facinus, quo non facile quidquam dixerim me legisse vel audivisse jucundius. Quo tempore vafer ille Rufo tabellioni, qui postea decoxit, navabat operam famulus, drachmas ab eo denas in dies singulos accipiebat, quibus obsonaret. Sed, cum die quodam cum drachmis decem obsonatum, ut consueverat, isset, vidit in medio foro hominem, qui, Prætoris permissu, plenam sortibus urnam habebat. cui, qui fortunam experiri cuperet, tres drachmas numerabat, & sortem unam educebat. Itaque magna eum cupido incessit fortunæ periclitandæ; atque drachmis tribus, ex iis, quibus domino emere obsonium debebat, persolutis, fortunam invocat. at fit, ut sortem beneficiariam educat; quæ videlicet pollubrum illi argenteum cum gutto dabat, minis decem æstimatum. at ille, pollubro guttoque relicto, minas pro eis novem accepit. nam, cui pecunia quam sors magis placebat, ejus precium decima detracta persolvebatur. Precio igitur accepto, reliquum nummorum, quibus emere obsonium debebat, in proxima popina profudit, neque domum redire

curavit.

curavit. Rufus, cum multas horas expectasset, & jam meridies appeteret, neque ille appareret, iratus, quod impranso ille sibi dies esset transigendus, mandat lictoribus, ut inventum eum abripiant, & in carcerem abstrahant. At ille ex pecunia, quam ex sorte redegerat, preciosas sibi vestes à chorago conducit; ac circumpedes duos varia indutos veste sequi se jubet; atque ita ornatus, basilice magnificeque ante officium Rufi se infert. Sed simul aspectus & cognitus est, Rufoque demonstratus. Qui surgens, recta ad eum properat. ille contra pariter fert gradum, confert pedem, ac salvere Rufum jubet. A quo interrogatus quid illud ornati esset, respondet, ab homine sibi propinquo hæreditatem, ad talenta videlicet quadraginta magna, obvenisse. itaque, pro re, nitorem sumere, & gloriam pro copia. Rufus, cujus res tendere ad ruinam cœperant, in spem fortunæ melioris erectus, tacitus intra se, Dii, inquit, me respiciunt, si vera hic memorat. sed oportet ita esse. nam quid illi veniat in mentem, hoc fingere; ubi nihil est lucri, me fallere? Quamobrem credit, novas spes sumit: nec jam facit convicium, ut servo; sed habet honorem ut domino. it illi comes exterior in via: domi suæ hospitium præbet: &, quoniam preciosa ipsi supellex nulla erat, stragulam vestem sericam, & conopéum item sericum, non parva mercede conducit. At, ubi blandiciis atque muneribus satis eum delinitum putat, talenta quatuor poscit mutua; quæ propediem eidem se numeraturum promittit. Homo liberalissimus, Quid ais, inquit, quatuor? decem roga. nam gestio promittere. quæ, cum tibi erit commodum, reddes. Rufus, ex lætitia vix sui compos, lætari, ac diis gratias agere, quod rebus suis desperatis ac perditis tam præsens auxilium obtulissent. & quo magis obnoxium sibi hominem redderet, ac de decem talentis fidem servare compelleret, argentum fœnori sumit, quinquaginta videlicet minas; ex eisque ornat ample magnificeque convivium. dynastam Eugenium, tunc temporis opibus & gratia florentem, cujus patrocinio se tuebatur, ad cœnam vocat: convivales ludos exhibet: comœdos, qui mimum agant, adducit. Licebat nebulonem illum cernere dynastæ amplissimo

ſimo proximum accumbere, aſſidere, crebro aliquid in aurem dicere, tanquam ſi eſſet par illi ſplendore, dignitate, potentia. ea pecuniæ vis ineſt. Quid verbis opus eſt? minus quinque diebus quinquaginta illæ minæ dilapſæ ſunt totæ. At nugator ille, cum aliquot jam dies ad Rufi menſam uberem ac plenam, ſua ex ſententia, ſe ſaburraſſet, celocem alio direxit; &, die quodam, à prandio ſatur abiit è domo. veſper adeſt; non redit: unus, alter, tertius dies abit; nihilo magis. Rufus, qui jam explorata ac domi condita decem illa talenta ſibi eſſe exiſtimabat, neque uno nummo paſſus eſſet à ſe auferri ſi quis emptor veniſſet, animum prorſus abjicere, conqueri, ac lamentari fortunas ſuas; ſua ſibi ſtultitia, quia hominem non aſſervaſſet, decem talenta füiſſe erepta dicere. Sed octavum poſt diem, cum in officio ſuo teſtium quorundam juratorum dicta exciperet, ecce tibi homo ſolus, pannoſus, ac ſordidus, adeſt. agnoſcitur, ac Rufo in interrogandis teſtibus occupato ſtatim oſtenditur. qui, relictis rebus omnibus, deſilit ex ſcamno, atque hominem rogat, ubi ſint circumpedes varia veſte induti, ubi precioſa femoralia, ubi ſericum amiculum. ea ille chorago, qui locaverat, ut par erat, reddidiſſe reſpondit. & ſimul de pecunia, quæ ex beneficiaria ipſi ſorte obvenerat, ocioſe ac lente narravit: nunc vero redire, ut ſolita mercede ſuas ipſi operas locet. Falſa ſunt igitur, inquit Rufus, quæ de quadraginta talentis, ex propinqui morte ad te perventis, commemoraſti? Tam vera ſunt, inquit nugator, quam verum eſt, ſolem media nocte lucere, vel mortuos vivere. Cur igitur, Rufus ait, ſimulaſti? Quia, inquit, volui per hanc rationem experiri, qualis ſit vita nobilium ac beatorum. atque equidem ſuavem ac jucundam eam eſſe comperio. vah! quantum ineſt in ea boni! divitem me eſſe natum oportuit. nam ſcirem bene eſſe, atque animo obſequi. Rufus iratus, homini in os involat, ac plus quingentos colaphos ac pugnos infregit. At ille pulſanti, os ultro objecit. Sed, poſtquam Rufum clamando verberandoque ad languorem datum videt, Age, inquit, omittamus nugas; quin jubes me domum ire, quæque opus ſunt mihi depromi, tibi ut ſit paratum prandium?

Rufus,

Rufus, ſentiens dum eum ferit plus ſibi nocere, deſtitit, ac, Qui verberat, inquit, lapidem, perdit manum. Tum, placatior eidem factus, claves tradit, & nummos, quibus obſonatum eat. Delectati ſunt omnes mirum in modum hoc hominis facto; atque eum nugatorem lepidum, & ſycophantam graphicum ſtatuerunt eſſe. Iam omnes conticuerant, cum pictor Vranius, Quoniam, inquit, cecidit mihi peropportunè, ut in hunc eruditorum hominum conventum venirem, legam vobis, ſi placet, Phalæcium breve carmen Bibuli magni Liberi patris antiſtitis juſſu à me nuper effectum, quo columba, quæ fuerat homini in deliciis, in ejus oſculis & amplexibus mortua laudatur. Cumque omnes ſe non nolle dixiſſent. Sub hac, inquit, conditione legam, ut, ſi quid in eo titubatum fuerit, indicetis, vel corrigatis potius. debet enim grandibus litteris marmorea in tabula incidi, ac parieti, una cum aliis epitaphiis, quæ ibi cernuntur, affigi.

O factum male, nequiterque, ſæva
Mors, quæ quidquid adeſt ubique amœnum,
Pulchrumque, ore petit voraciore.
Caram ſic rapuit mihi columbam,
Olim ut peſſima Lesbia Catulli
Dulcem paſſerem ademit, & nitentes
Infecit lacrimis genas miſellis.
Heu, quo me dolor abripit gementem!
Et quid facta queror rapacis orci?
Non ille id voluit nefas, nec ipſam
Ditis regna tenent tenebricoſa;
Verum pulchra Venus ſuo venuſtam
Gaudet nunc dare currui columbam.

Conclamatum eſt, Pulchre, recte, bene. Tum rogatus eſt quidam, cui multæ, ut dicebatur, inerant facetiæ, multuſque in jocando lepos, cuique cor erat acre aceto, ut laceſſitus non ferret injuriam, rogatus eſt, inquam, ut carmen recitaret, quod in Tigellum decoctorem ſcripſerat. Recitabo, inquit ille; modo vobis moleſtus ne ſim. Nobis, inquiunt, qui te id ipſum rogavimus? Tum ille; Vltus ſum, inquit, hoc carmine, execrandam peſſimi illius decoctoris avaritiam, qui creditores

ſuos, ut noſtis, ex creditoribus Hercules fecit. nam decumam eis partem dedit, ſibi novem abſtulit; atque, pecuniis undique ereptis confertus, recuſavit una cum aliis vicinis ſuis pauculos ad comœdiam coëmendam nummos conferre.

Cum binos ſcenæ nummos conferre Tigellus
Difficili vultu ſævitiaque negat,
Miraris, tam parcus homo, cur turpiter olim,
Naufragus ad Ianum fregerit unde ratem?
Erras; nil paſſus damni eſt. ſed maxima falſo
Sub decoctoris nomine furta facit.
Nam cui debebat centum ſextertia, dixit,
Vel te ſuſpendas, vel tibi ſume decem.
Nec tamen eſt auſus quiſquam mutire; ſed ultro
Illius in leges creditor omnis abit.
Quid facias, ſtrictus ſupra, ſi pendeat enſis?
Victori ſupplex non dabis ipſe manus?
Nonne facis lucri, quidquid tibi latro relinquit?
Ipſam demum animam non ſua dona putas?
Non tam civis erat nobis, ſed latro Tigellus;
Quæ non ſurripuit, dona fuiſſe putat.

Vix poſtremam horum verſuum ſyllabam recitaverat, cum unus intervenit, qui, Venio, inquit, à foro; ubi Coſchini Iudicis prudentiam, juſtitiam, æquitatemque ſupra modum ſum admiratus. Etenim illi ejus judicio de re privata interfui, quo nec gravius, neque ſeverius, neque æquius ullum Rhadamas vel Minos ipſe feciſſet. Neque expectavit dum rogaretur; ſed, attentis omnium animis, ſic orſus eſt.

Mulier vidua minas ſeptuaginta exegerat, quas vicino cuidam ſuo, in mercimoniis quibuſdam coëmendis occupato, multis ab eo precibus rogata, mutuas dederat, quas ille quartum poſt menſem ſe eidem renumeraturum promiſerat, & ſyngrapham ſcripſerat, qua mulieri, ut affirmabat, cautum erat. Verum, cum ejus pecuniæ dies non adveniſſet ſolum, ſed multos jam dies præteriiſſet, neque pecuniæ reddendæ mentionem plus faceret, quam ſi nunquam accepiſſet; cœpit eam mulier efflagitare. Ille, Dabo mox; poſt paulo: redito cras. nunc non eſt ocium, dicere, ac diem ex die ducere. At, ubi ſe mu-

lier duci diutius videt, hominem aggreditur, & , Quoniam à te ludibrio, inquit , habeor , pecuniam creditam lege judicioque reposcam. Tum ille iratus, Age,inquit, ut lubet ; nihil à me tibi debetur. Itaque mulier curriculo in cujusdam tabellionis officium venit , ubi scribæ aderant plures. Quorum uni rem narrat, & syngrapham tradit. Qua ille perlecta, risus effudit ; ac mulierem jubet eam sociis ostendere.qui effusissimos item cachinnos edidere. Quod mulier admirans , Quid , inquit,isti sibi volunt ? quid rident ? atqui, si sedes , & quasi regio ridiculi, deformitas est , non adeo me turpem agnosco , ut rideri debeam. Ad pauca ut redeam , ad tabellionem mittitur. qui , re perspecta , mulierem fuisse deceptam intellexit : Atqui noli, inquit, mirari, si rideris. tibi enim os sublitum est pulchre. nam inficiator ille qui syngrapham scripsit, nihil in eam intulit nisi sæcalare carmen Horatii , *Dianam teneræ dicite Virgines*. Tum mulier flere, lamentari , deum atque hominum fidem implorare. At tabellio , Parce , inquit, fletibus: potius Coschinum judicem adi, qui , pro sua auctoritate atque sapientia , aliquid inveniet , quo nebulonis istius fraus detegatur. Mulier exanimata accurrit , & ad domum judicis venit, commodum cum ille, litigatoribus à præcone dimissis, è tribunali descenderet. accedit, injuriam sibi factam expostulat ; narrat , quemadmodum ab inficiatore illo pecunia dotali sit eversa, quam illi mutuam dederat , ut mercimonium ex ea coëmeret ; genus etiam mercimonii , in quo collocata fuisset , exponit ; syngrapham affert , quam deceptor ille, cautionis loco , conscripserat. Iudex , re cognita, mulierem ludos esse factam pro certo existimavit ; ac, sane commotus , bonum eam animum habere jubet, & in proximum cubiculum tantisper secedere , dum ludificatorem illum ad sese arcessat. Mittit igitur , qui eum vocent. Venientem humaniter excipit , seducit. rogat, quid rerum agat, ut valeat. vt merces, quam proxime coëmerat , lucro eum affecisset, interrogat. qui, non male sibi negocium sub manus successisse , respondit. rogat rursum , num mutuum eam ad rem sumptum , mulieri reddidisset ? respondit ille , se quidem

dem mulierem nosse; sed neque illi, neque mortalium cuiquam, nummum ullum debere. tum judex, prolata in medium syngrapha, quæsivit, num chirographum suum agnosceret? non est ausus negare: Sed, quonam, inquit, hoc spectat? Eo, ait Iudex, ut minas septuaginta statim dissolvas. nam, si cuivis alteri tecum res esset, eundem paterer legis præscripto atque ordine agere, teque judicio non antea damnarem quam legitima omnia conficerentur: sed, quoniam cum Diana & Apolline omnis tecum res est, pedem ex hoc cubiculo non feres, nisi eisdem, quod satis sit, facias. Sed, cum ille clamaret, seque iniquo judicio opprimi diceret, Iudex, Evocate, inquit, aliquis lictores, qui vinctum hunc abstrahant, & sanctiorem in carcerem condant: atque una operâ rhedæ equos adjungite; nam mihi Rex sacrorum adeundus est, ac de improbissimo istius furto docendus. Tum ille, vinculorum metu adductus, & simul veritus iram Regis, si tam insignis fraus illustraretur, multis cum precibus impetravit à Iudice, ut liceret sibi mulieri satisfacere; ac, missis qui pecuniam afferrent, eandem, cui debebatur, enumeravit.

Hæc cum dixisset, quidam ex eo conventu petiit alte suspirium, atque, Vtinam, inquit, talem ego judicem sortitus essem, non equidem in optima mea causa judicis iniquissimi sententia succubuissem. Erat mihi lis & controversia cum quodam Laurente de mutuo. Datus est mihi judex à Prætore Cratinus, judex nequam ac levis; jussusque, ut, si pareret, Laurentem mutuam à me pecuniam accepisse, nec restitueret, condemnaret eum. Planum facio testibus, me eidem pecuniam enumerasse; chirographum etiam illius ostendo. Iudex, rem sibi compertam esse, ac meridiana luce clariorem, fatetur: verum opere me orat maximo, ut ipsum mihi iniquum ejurem. Cui ego, Quid ais? inquam, iniquum mihi illum ejurem, quem mecum sentire videam? non ædepol faciam. At ille, Ita dico quidem, ait; tu age ut lubet. Ego sine metu ac sine cura esse. quid enim dubitarem? res erat facilis; faciebant omnia mecum, jus, æquitas, judicis voluntas: cum ex improviso nunciatur, pronunciasse judicem, nihil mihi à Laurente

deberi. Accurro; rogo, cur tam iniquam adversus me sententiam dixerit, quem toties in hac causa superiorem esse affirmasset? Audite hominis impudentiam. Iure tibi, inquit, hoc accidit. quoties edixi, ut me tibi iniquum ejurares? Erras, si credis, velle me res meas florentes affligere, ut jacentes tuas extollam. At postea comperi ex iis, qui fuere conscii, ea me iniquitate onerasse, ut ab homine potentissimo gratiam iniret, qui majorem ipsi in modum adversarii mei causam commendasset. Sed, cum judici maxime irascitur, factus est etiam commotior, repentino cujusdam adventu, quem nuper nescio quod volumen de illustribus sui ævi scriptoribus edidisse ajebant: cui, Non te puduit, inquit, ad tot illustrium virorum numerum Iani culcitrarum concinnatoris nomen adscribere? non fuit religio, plebeias idiotæ nescio cujus cantilenas, quæ in popinis, in triviis, in ganeis cantitentur, vel in flabellis describantur, cum tot egregiis præstantium virorum operibus componere? fortasse, quia tibi culcitram gratis effecit, dignus visus est, qui in doctorum hominum numerum veniat. Abi, meum nomen ex albo tuorum litteratorum erade: ego operis, quod edidi, exemplaria undique omnia conquiram, atque igni delenda committam: nam præstat indocti & illiterati famam subire, quam una cum Iano ac sui similibus inter litteratos referri. Inter hæc exauditur foris clamor strepitusque armorum, accurrimus, ac duos videmus districtis gladiis unum appetere, à quo se fuisse pulsatos querebantur: ille vero, lancea ex proxima popina sublata, se tueri. cui, dum pugnat, patinæ argenteæ duæ mappa involutæ, & ad zonam alligatæ, solvuntur, ac decidunt. Fit, ut casu sagittarius quidam ignotus illuc perveniat; qui voce puerorum excitatus est, ut sagittis eorum audaciam reprimeret qui uni negocium facesserent. at ille, tanquam arcus intendendi causa, sese demittens, furtim è terra patinas sustulit, atque, omnibus ad pugnam intentis, se una cum illis è turba subduxit; nec visus est uspiam. Pugna dirempta, placuit Gallonio & nobis ad portum accedere, ne si ventus constitisset, navarcho in quæstione essemus. Ergo imus. Sed nondum tempestivum ad navigandum mare invenimus.

Quam-

Quamobrem hortatu Gallonii, proximam Cereris ędem subimus. Vbi adolescens mulier, quam esse cerritam ajebant, adjurabatur. illa modo se humi sternere, modo hac illac versare, tum ejulatus edere, spumas agere, atque deliramenta ejusmodi quamplurima facere. medicus, curationi præpositus, à septem lemurum legionibus obtineri agitarique eam ajebat. quos lemures certis quibusdam carminibus conabatur de corporis obsessi possessione depellere, Orcumque ire compellere. illi contra obniti, repugnare, resistere: sed demum, tanquam cantionum earum viribus impares, se victos fateri; verum tergiversari, ac dieculam ad egrediendum poscere. medicus negare, terrere minaciis; atque id unum instare, ut discessionem facerent. qui demum, mulieris ore eruptione facta, egrediuntur: ac miseræ, in exeundo, vomitum provocant; qui, neque atram bilem, nec flavam, nec simile quidquam effudit, sed acus, ligulas, funiculos, capillos, unguium præsegmina, clavulos minutulos, &, quod incredibile memoratu est, digiti pollicis crassitudine, ac palmari longitudine ferreum clavum. hæc medicus diligenter collecta edito in loco collocabat, populo aspiciendi potestas ut esset. eaque mulieri, veneficæ cujusdam opera, in melimelo voranda esse tradita; ac demum, vomitione excussa, unam tantum lemurum legionem secum traxisse narrabat: reliquas cum aliis æque portentosis rebus in ventre mulieris sibi castra munisse: sed fore propediem, ut illæ quoque suis socios vestigiis prosequerentur, quæque adhuc venter intus prodigia concluderet, foras evomeret. Nos, rei novitate attonitis similes, non satis intelligebamus, quomodo melimelum unum tam multas res capere, vel eas mulier prudens, sciens, mandere, vorare, ac mansas anno post integras evomere potuisset. quomodo enim acuum clavulorumque acumina nihil gutturi, nihil ventri nocuerunt? Quid? clavum illum palmarem utrum minutissimas in partes dentibus divisum atque confectum in ventrem abstulit, an integrum voravit? si divisum; unde ad ferrum comminuendum ea vis erat in dentibus? si integrum; quomodo non est ab eodem strangulata? Sed hunc nobis scrupulum evellit unus, qui

ſpectaculo aderat. qui quidem, Quam lepide,inquit,nebulo iſte ſe nobis dare verba putat? ut malus nos aſinos, plumbeos, ſtipites, non homines retur? tanquam ſi non ſit palam, unde portentoſa illa defluxerint! quod neque vos falleret, ſi ejus à manibus oculos nunquam dimoviſſetis. Etenim ea eſt præſtigiatoribus iſtis celeritas manuum, ut, niſi admodum attendas, oculorum aciem effugiat. Tum, Tu, inquam, nullas eſſe cerritas, vel fanaticas, vel lymphatas exiſtimas? Vtinam,ait ille, dii facerent ne eſſent! ſed paucas admodum licet hoc morbo correptas invenire. nam hodie, ut quamque viri ſui odium cepit, & alterius cupiditas init, cujus potiundi facultas non ſuppetat, continuo ſe circumferri jubet pro cerrita. aliis ſimplicioribus ſi pes, ſi caput indoluit, ſi crus, ſi femur, ſi brachium intumuit, ſi bilis atra triſtes cogitationes induxit, ſtatim veteratores iſti, qui hoc ſe artificio tuentur, vel eodem ad ſuas libidines utuntur, hunc larvarum ac lemurum metum incutiunt, ac pecuniam auferunt, qua Hercules invocetur, vel Ceres placetur, vel olera aut alia ad ſuffitus faciendos emantur. alii, libidinoſi, ſumpta occaſione, ad mulierum familiaritates ſibi aditus muniunt; virgines ac matresfamilias ſæpe nobiles ſimulatione curationis attrectant, &, ſi fortuna, vel caſus conatus eorum adjuvet, etiam denudant. itaque, per hanc rationem, amores difficillimos atque cariſſimos ſibi conficiunt, ſine ſumptu, ſine moleſtia, ſine diſpendio. Vera loquitur vir iſte, inquit alius, qui ſermonem hunc auribus legerat: &, quo magis iſtorum vobis improbitas teſtata ſit, exponam quod ego hiſcemet oculis vidi.

Quo tempore eram Regi Alectrio à cubiculo, (hic eſt Rex vaſtiſſimarum earum Regionum longe maximus, atque clariſſimus,) venerunt circumforanei ad nos aliquot, cum muliere, in quam multa lemurum millia confluxiſſe jactabant: cœperuntque ſuggeſtum, in foro ſub regiæ domus feneſtras excitatum, aſcendere. atque ibidem mulier clamare, ejulare,hac illac ſe agere, in illorum brachia rejicere. illi retinere, Herculem invocare, Cererem, Apollinem, Iovem, ut eſſent propitii,

tii, orare. lemures, injecto tantorum Numinum metu, ne tantulum quidem commoveri; sed obsesso in corpore, tanquam in arce, majori se præsidio munire. mulier, tanquam si ipsius ore responsa lemures darent, vario linguarum genere uti; ad interrogata respondere: & in primis affirmare, nullum eorum lemurum ne latum quidem unguem ab se longius discessurum, antequam ipsa Dianæ Daphnitæ ædem attingat; ipsam solam posse ipsis imperare ut exeant: at si Iupiter veniat, ac duodecim deos plusquam in cælo est deorum immortalium, secum adducat, ultro etiam irrisus ac deceptus abierit. Aberat ea ædes illinc decies centena millia passuum. Tum illi efficacissimis verbis populo misericordiam commovere: mulieris inopiam afferre, cui ne pauculi quidem nummi, qui essent ad ejus diei cœnam satis adessent, ne dum suis opibus tam longam peregrinationem susciperet; proinde ad eorum opem confugere; orare ac deprecari, ut miseræ subvenirent, zonam instruerent, ac viaticum ad iter ornarent. At populus sane commotus misereri, accurrere, stipem conferre. illi gratias agere, pietatem laudare; ac, se multa postridie, ac ceteris deinceps diebus, jucunda de cerrita illa daturos, polliceri; proinde solita cum stipe parati ad spectandum accederent. Rex, qui rem omnem ex fenestra acceperat, me præsente, dat cuidam negocium, ut abeat, quærat, investiget, unde, qui, cujus fortunæ, & professionis sint ii, qui cum populo egerant. Ille obtemperans currit, homines adipiscitur, subsequitur clanculum; videtque, in hospitium ad cauponem divertere. ne multa; cauponam intrat; cubiculum, ubi cubent, observat; alterum eidem adjunctum ingreditur; & interea, dum illi absunt, terebra satis latum in pariete, qui erat factus è tabulis gypso circumlitis, foramen aperuit; atque inde cœpit venaturam oculis facere, & aucupium auribus. Illi revertuntur, cœnam poscunt, atque, ut mos est earum gentium, tradunt se hilaritati jocisque; cantant, saltant, mulierem mediam arripiunt, sternunt humi, amplexantur. Posthæc cœna venit, apponitur, accubitum itur, estur, bibitur, lætitiæ, hilaritati, lu-

disque non parcitur. Sed, postquam vino epulisque datum est satis, traduntur mulieri ediscenda quæ postero die populo venditurі essent. & quamvis,

Si quid faciendum est mulieri male ac maliciose,
Ea sibi immortalis memoria est, meminisse, & sempiterna:

attamen, quia metus erat, si quid titubatum esset, ne doli aperirentur, coacta est sæpius dictata repetere. Tum cœptum est cogitari de somno. Duo erant lectuli seorsim positi, qui, eorum opera, junguntur, atque ex duobus unus efficitur. Illi simul omnes sese commendant. His actis, speculator à Rege missus, satis jam satis rem esse claram existimans, quærendi finem facit, atque abiit, ut Regi, quæ viderat, cuncta narraret. Qui Rex gavisus est se opinione sua non fuisse deceptum. Itaque jubet omnes in carcerem condi, atque, habita quæstione, quæ explorator viderat, ipsorum confessione proferri, & in publicas tabulas referri. qui, manifesto deprehensi, non sunt ausi negare. Genus animadversionis cognoscite, & simul Regis prudentiam admiramini. Imperat his, ut palam in foro, atque ex eodem suggestu, quo populo fucum factum advenerant, palinodiam cantent, & tanquam cornices oculos cornicum effodiant. quod si recusent facere, statim in crucem agantur. Ac, ne saxis obruerentur, undique armatos disposuit, qui vim populi impetumque repellerent. Illi, crucis metu, imperata fecere; ac postridie Regis jussu exulare coacti, regni ejusdem finibus excesserunt.

Sed cur abit oratio mea longius, neque se urbis nostræ terminis continet? nonne hic apud nos deorum immortalium flamines, qua sunt avaritia, lymphatum fere semper aliquem, vel verum vel fictum, ad populum convocandum, precio in ædes sacras inducunt?

Est in hac urbe Fanum Mercurii, omnium maximum ac sumptuosissimum, cujus erat olim æditous Alexis quidam, spurcus homo, & flagitiosus. Hic, è numero quadruplatorum deterrimus, ac fœdis puerorum amoribus notus, furti sæpe se alligaverat: præterea decretam semper aliquam domum habebat, in quam, quidquid

quid erat ubique lenonum, aleatorum, perductorum, conveniret; demum, in quam omnes omnium libidines commearent: nemo in eam puer pedem intro ferebat qui pudicitiam salvam inde referret; nemo in eam castus ingrediebatur qui non inde aliquo pollutus flagitio regrederetur. Quibus artibus fiebat, ut omnibus carus in primis existeret. Sed demum à duce lictorum clam veneno sublatus est, propterea quod falsum indicium ipsi detulisset. cujus postea Prætorem ac Regem sacrorum participem faciens, quibus id falsum esse constabat, habitus fuerat ab iis vel malignus, quod falsas criminationes, vel indiligens, qui res minus conquisitas & exploratas afferret. attamen Dux idem lictorum palam multis audientibus dixit, damnum se hujus immaturo interitu facere, quo exploratore cohors prætoris nullum neque meliorem, neque sagaciorem haberet. In hac igitur æde sacellum est Cereris perantiquum, ferreis clathris septum; maxima antiquissimaque religione præditum, quod lapidem habeat inclusum, in quo sedisse dicitur Ceres, lassitudine victa, cum Proserpinam quæreret. Hunc lapidem ad cerritos expiandos magnam habere vim dicunt. Conduxerat per id tempus Vranius, nobilis pictor, tabulam quandam pingendam, in qua describeretur, quo pacto suæ Dianam Virgines, ex venatione sudoris ac pulveris plenam, sacro amne lavissent. Huic, die quodam, à mane ad vesperum, vox ex adverso clamantis aures verberavit, qui, completis sacris, & instante jam noctis tempore, nihil de vocis contentione remitteret, sed eandem vehementius intenderet. Sensit Vranius, vocem illam ex Cereris sacello prodire. Confert se illo, atque hominem ibidem inclusum, quid clamaret, interrogat. Qui, Conductus sum, inquit, hodie ab Alexi, quindecim obolis, ut pro cerrito me geram, atque ædem clamoribus & ululatibus impleam: ego ad ravim usque clamavi; neque homo adest cum mercede: &, quod molestius mihi est, ventris desiderio differor: quod si cessat venire, & clathros istos recludere, hic profecto alvum educam. Tum Vranius; Ita facto opus est. age, ventrem exonera; &, quod egesseris, cum ille venerit, ac te mercede pacta fraudaverit, in os eidem impingito.

Hæc elocutus obticuit. At Paulus Æmilius, Vbi ſunt, inquit, qui ajunt, Romæ tantum ſycophantas & veteratores inveniri? Quantum audio, ubique locorum moribus eiſdem vivitur. Interim veniens à navarcho adoleſcens, nunciat, fluctus conſediſſe maritimos, ac ſtatutum eidem eſſe navim ſolvere, & ad proximam inſulam remis veliſque contendere; proinde properaremus venire. Nos dicto audientes accurrimus, & navarchum cum chirurgo litigantem offendimus. qui eum opere orabat maximo, ut ſe cum aliis vectoribus in navim exciperet. navarchus recuſabat, quod plena navis neminem præterea caperet. Gallonius chirurgum rogat, unde tanta hæc navigandi cupido eum inceſſerit, qui ſemper à mari abſtinuiſſet. Reſpondit, patris ſævitia contingere, ut patriam ſedem exilio permutet, qui ipſum ædibus foras ejeciſſet. Heri, ut ſcire vos arbitror, nos, qui vulneribus manu medemur, ſervi in crucem acti cadaver à triumviris rerum capitalium accepimus, quo ad remedia vivorum incideremus, ac viſcerum poſituram, colorem, formam, ac magnitudinem pernoſceremus. Ego jecur à reliquo corpore avulſum domum attuli, quo omnes ejus partes, fibras, membranulas, quibus adnectitur ſepto, quod à præcordiis uterum dividit, diligentius contemplarer; illudque jecur raſtro cubiculi mei parieti affixo ſuſpendi; &, quia mihi erat negocium in foro, diſcedo. Aliquanto poſt cum prandii tempus jam præteriiſſet, domum redeo, cubiculum intro, aſpicio, neque jecur invenio; quæro ab ancilla, quid eo factum ſit, & cur, me abſente, auſa ſit illud attingere. hinc magnum mihi cum ea litigium exoritur. Quo clamore excitatus pater meus eo venit, &, Quid hoc clamoris eſt? ait. quid vos velitamini inter vos duos? Ego, Propudium iſtuc, ajo, jecur à me ſtudiorum cauſa allatum ſuſtulit; neque poſſum ſcire, quid eo ſit factum. Tum pater, Quid clamore opus eſt? inquit. ecquid mulier deliquit, ſi abſtulit? Vt tu ſcias; coximus, ex eoque paulo ante fecimus prandio funus; neque alias eſca una palato meo ſapiit magis. experire; tu quoque idem fatebere. nam tua tibi pars in arca ſervatur. Ego, ex ira, vix mei compos, (non enim erat ita facile jecur alterum invenire,)

nire,) Elegans, inquam, facinus fecisti; crucifixi hominis jecur vorasti. Pater, qui nollet hoc sibi dictum, exarsit, ac, Pessime, exclamat; tua causa factus sum hodie anthropophagus. cur non antea dixisti? cur illud clam habuisti? abi hinc in malam crucem,& cave,te mihi posthac ostendas: quod si post vesperum in his regionibus conspicor, frustulatim differam, ac mordicus tibi jecur abripiam, ut cum prandio cœna conveniat. Ego patris conspectum veritus abeo, atque alias regiones persequor. Et, quamvis parce admodum viaticatus sim, facile tamen, ut spero, meo artificio me tuebor. Non sine horrore & stomacho dicta adolescentis excepimus: hominem tamen risimus, qui se humanis carnibus saturasset. Illum vero bonam mentem habere jussimus. Et nauclerum oravimus, ut in navim reciperet. Qui negavit id fieri posse, si senex ille odiosus veniret, qui, qua erat superbia, omnes morabatur. Ac dicturus erat plura de hominis insolentia atque fastidio; sed nos ad se Plusius attraxit; qui in crepidine portus lectitabat alteri nescio quod carmen; ac vultu & significatione videbatur eidem applaudere. Qui, ut nos aspexit, evocavit, atque, Audite, inquit, lepidum carmen ab Arido, Virgilio adolescenti missum; qui filius est fratris Vrsati, magni antistitis atque dynastæ; quem nuper extinctum deflevimus.

O surgens populi spes nova, Virgili,
Vrsatique domus deliciæ, & decus;
Vt fausto exoriens omine, lucidum
Cæli sydus ades, læta micantibus
Virtutum radiis lumina proferens!
Cum natura tuis laudibus obsequens,
Nec parvum ingenium crediderit tibi,
Nec clausum studii finibus unici,
Parva sicut aquam mole coërcitum;
Sed magnum, atque potens claustra refringere,
Perque artes varias serpere liberum;
Ceu flumen validum, cum imbribus, aut suis
Præpollens opibus, præterit alveum,
Ac per longa vagum rura perambulat.
Nam, centum ingenuis præditus artibus,

Festinas

Festinas solidæ ad culmina gloriæ
Magnis pene puer tendere passibus.
Ecquis non avidis ebibit auribus,
Quos fundis nitidos pectore diviti
Sermones, roseo ac nectare fervidos;
Vel si Pieriis verba liges modis,
Vel si des numeris pergere liberis?
Quem grata implicitum compede non trahat
Ad sese probitas hæc tua, moribus
Condita egregiis, nudaque veritas?
Cui non mira ferant gaudia, quæ feris
Ludens pulchra moves prælia belluis?
Sive aprum sequeris, sub jove frigido;
Seu cervam validis conficis ictibus.
Nec mirum, à teneris si hæreat unguibus
Vis hæc tanta tibi. namque domi pater
Splendet, splendet avus, qui valet ad chelyn
Dulcis Threiciam sistere flumina, &
Quercus aëreis ducere montibus.
Illis fortis adest & sapientia
Læli, & Scipiadæ robur amabile.
At dum te puerum fingis, & instruis
Mores ad patrios sedulus, obtines,
Vt cum jam fuerit fas tibi vivere
Ævum, sponte tua, propositi tenax,
Obsistas solida mente libidini,
Ducenti cupidos in vetitum nefas.
Sic, quæ recta oriens aëra verberat
Pinus, vel tenero cortice fraxinus,
Cum late foliis fulserit ardua,
Non imbres metuet, non tumidos Notos,
Nec flexo feriet nubila vertice.

Delectavit me mirum in modum carminis cultus & nitor; ac, Libenter, inquam, Plusi, ejus exemplum mecum afferrem, si esset ocium describendi; sed, mox discessuri, temporis angustiis opprimimur. Plusius humaniter, Habeto, inquit, hoc tibi. nam unde descripsi, sexcenta possum exempla depromere. Accipio, & gratias ago. At ille eodem puncto temporis demonstravit digito Philosophum, ex ea familia quæ Minervæ cultui se

voti

voti religione obstringit. Summa eorum hominum professionis hæc est, ab uxoribus, & ab omni genere concubitus abstinere: unum sibi quotannis ex ipsis, magistri nomine, cunctorum suffragiis eligere, cujus imperio præsto sint ad nutum: simili omnes vestitu uti: una cibum capere: nunquam solos, sed binos, ternos vel quaternos incedere: voluptates omnes respuere: virtutes amplecti; eam in primis, qua Minerva se jactat, nimirum castitatem. disciplina à Xenocrate, Platonis auditore, inventa ac profecta existimatur. itaque ob hanc opinionem virtutis, honoris gratia, à cunctis, illis assurgitur, deceditur, & tanquam præsentibus diis honor habetur. iis licitum est, sine maleficii suspicione, in ædes nobilium introire; ad intima eorum cubicula penetrare; mulieres, absentibus maritis, invisere, alloqui, consolari; consilio, opera, & auctoritate juvare. Vnum igitur ex istis nobis Plusius ostendit, atque, Hic est, inquit, ille, qui hodie intestabilis vivit. Quærimus, quid sit hoc. Respondet; Hic est Philosophi illius comes, qui Pamphilam Lysimachi nobilis viri uxorem quotidie adibat, ac, remotis arbitris, solus cum sola multas in cubiculo horas traducebat. Hic vero jejunus, una cum ostiaria, puella non illepida, in altero cubiculo servabat, ne alius adiret. Sed, die quodam, defessus expectando, puellæ inquit, Dic, obsecro, quid negocii intus isti in cubiculo gerunt? Quæ ridibunda atque hilaris, Quid putas? ait. se mutuo ad castitatem cohortantur. Heus tu; lolione victitas, an veterno laboras, qui rem manifestam non videas? illi animo obsequuntur suo, & sapiunt, mea sententia: nos vero inertes ac jejuni eisdem excubias agimus: cur idem ad exemplum nos quoque hilares non sumimus dies? Non fuit opus multis verbis, hominem, & ætatis calore, & occasionis illecebris, & mulieris oratione incitatum, ad nequitiam impellere. sed veniebat illi in mentem professionis suæ, & voti, quo se Minervæ obstrinxerat: sed virginem plusquam se sapere existimans, Alii, inquit, Minervæ fidem, in eo, quod promiserint, servent; mihi certum est occasionem tam bonam non amittere, sed ad id vela dare, unde flatus ostenditur. Atque una opera virgini in gremium illabitur,

tur. Neque id eo tantum die factum est, sed omnibus deinceps diebus, quoties socius in cubiculo clausus navabat operam dominæ. Sed tandem, processu temporis, virgini corpus extumescens, fecit, ut dominus, uxore præsente, ejus tumoris causam deposceret, &, cum res esset palam ac dissimulari non posset, flagitii auctorem exquireret. At uxor, cui plenum erat corpus fallaciarum & doli, quæque nosset, ancillæ dedecus cum ipsius infamia esse conjunctum, iratæ similis, Vide, inquit, os hominis, ut simulat, se nescire quod scit, nec fecisse quod fecit; tanquam sit obscurum ad quem tantum nefas pertineat. tu, improbe, hanc culpam commeruisti. me miseram, non posse me, domi meæ, cujusquam, vel ancillæ, vel liberæ, pudicitiam ab istius injuria defendere! cum hoc me patiar esse in matrimonio, qui domi pellices habeat, & uxoris rem negligat? ideo ne tali viro nupsi, ut hæc videam, & has contumelias feram? Ille, qui sibi esset conscius, nullum à se virgini vitium fuisse oblatum, uxoris jurgio incensus, quo ostenderet, nihil ad se crimen illud attingere, impetum in virginem fecit, ac, Mihi, inquit, indica, cujus sis gravida. Sed, cum illa dissimularet, ne, cum alterius flagitio, dominæ præterea dedecus invidiosa proditione detegeret, ardentius inflammatus, Non potero, inquit, hodie à te verum exculpere? Eductumque pugionem in virginis guttur intendit; & continuo eam se jugulaturum interminatus est, nisi indicaret, qui prior ipsi pudicitiam pepulisset. Quæ tandem, mortis metu adducta, ab hoc viro castissimo se fuisse vitiatam exposuit, dum socium intus cum domina conclusum expectat. Ille, tanquam furiis actus, ad ædes Philosophorum accurrit; magistrum appellat, flagitium in virginem admissum exponit, ac, nisi clamore & conviciis impleri totam urbem postulet, impurum illum tanquam noxam sibi dari contendit, quo ejus supplicio atque cruciatu dolorem suum lenire, & saturare animum possit. Magister suo ab alumno crimen depellere, ac peccare eum largiter dicere, qui tantam Philosopho illi, viro sanctissimo, infamiam creet, quo nemo ea in domo neque frugalior neque castior inveniretur. Ille instare factum: magister negare factum.

Sed,

Sed, cum ille altius vocem tolleret, veritus magister, ne concursus vicinorum fieret, ac facinus divulgaretur, blandè hominem aggreditur, ac domum ut abeat rogat; se enim rem tantam inquisiturum, neque impunitam dimissurum. Qua ille oratione impulsus paululum iram supprimere, &, quoad magister promissi sui summam expleret, expectare constituit. Interim Philosophus, qui stupri fuerat accusatus, magistri jussu, in carcerem conjicitur, & poculum, ubi cicuta vino diluta erat, affertur, atque optio eidem datur, ut vel illud hauriat, quo hausto, horæ unius intervallo vitam amittat, vel testes demetendos exhibeat. Ille, subductis rationibus, satius existimans esse quovis modo quam nullo, testes lubens objecit. Aliquanto post, obducto jam vulnere, magister Lysimachum convenit, rogatque, num de alumni sui innocentia certior sit adhuc. Ille audacter, nihil sibi certius esse, respondit, quam ab homine illo nequissimo fuisse virginem vitiatam: nec posse rem dissimulari. Tum magister; Iam faxo intelligas quanto in errore verseris. Ac vervecem illum venire jubet, & præsente Lysimacho vestes ponere. Quo facto nudatum genitalibus inguen aperuit. Tum magister, tanquam commotus: Quid ais? inquit, hicne idoneus tibi videtur qui mulieres prægnantes faciat? quem, inde à puero exectum, jampridem ob insignem vitæ innocentiam Matris magnæ antistitem esse creatum oportuit? Tu posthac, cum agitur boni cujuspiam viri existimatio, linguam comprimas, si sapis, nec continuo falsis hominum de illo rumoribus aures præbeas. Ille his præstigiis profecto delinitus est, ita, ut ubi esset nesciret, nec haberet in præsentia quid responderet. Quamobrem, tum judicium, quod Minervæ alumnum invidioso crimine diffamasset, tum uxoris iram metuens, statuit cum ea redire in gratiam, & sibi ipsi non credere.

Adeo delectavit me vafra illæcce Magistro familiæ suæ existimationi hominum vindicandæ suscepta ratio, ut non alias magis hominis cujusquam sagacitas & solertia majorem in admirationem impulerit. Sed Gallonius, Ostendam, inquit, vobis, si vultis, senem illum

muccidum, qui acetum pro vino misit. Respicimus, ac videmus senem, siccum, incurvum, rugosum, colore mustellino, capillo subnigro, neque ulla adhuc canicie infecto; qui meritricis de fenestra sciscitabatur, quid ipsi ab illis ædibus deberetur. Merlinus, Aperi, inquit. te mihi est opus conventa. Meritrix, Non est, ait, operæ in præsentia; cum amatore meo sum occupata. Sed continuo Merlinus exclamavit, Redde mihi argentum quod surripuisti, venefica. ego te impudicam, non etiam rapacem, existimabam. Mulier, flocci eum non faciens, abiit, ac frustra litigantem reliquit. At senex nihilo minus clamabat, Redde argentum, impura. nam, nisi reddis, hic te pipulo differam ante ædes. Gallonius accurrit, quærit pro amicitia de eo, quid factum sit, quod ita clamet? Ille, Solebam me, inquit, à prandio, animi causa, in domum istius propudii conferre, ac pomeridianas cum ea horas in lecto traducere. hodie, cum ex consuetudine cum ea jacerem, furtim è lecto desiluit, atque mea ad femoralia recta iter habuit, mihique nihil tale suspicanti marsupium eisdem annexum exenteravit; postea rediens, institit, oppressit, ut surgerem, atque amatori cuidam suo, qui maximo sibi usui esset, locum darem. Ego surgo, obtempero, morem gero; abeo; venio ad Ianum, ut pauxillulum nummorum, quod de ratiuncula amico debebam, exolvam; manum in crumenam infero, ac nihil in ea relictum invenio; parenticida ista omnem illi animam intertraxerat. sed dum Merlinus infelix crumenæ suæ fatum deplorat, adest, qui nunciat, senem illum morosum, qui erat in expectatione, subita correptum febri lecto teneri, nec, de medicorum sententia, posse tuto mari se credere. Nauclerus deæ Febri gratias agens, quod vomitum illum à sua navi removisset, adolescentem medicum, de quo diximus, introducit. Nos, semel, iterum, ac tertio Gallonium amplexati, valere jussimus; & vitam Neptuno commisimus.

LIBER VIII.



X omni hominum numero, qui erant nobiscum in navi, unum omnes adibant, circumstabant; rogabant, quonam pacto fortuna ita repente ex summis opibus redegisset ad incitas militem quendam, cujus nomen non memini, ex quodam honorariorum militum ordine, cujus ipse auctor extiterat. Etenim in iis regionibus plures ejusmodi militum ordines inveniuntur, qui Υ Græcum palliis assutum gestant ex serico, sive albo, sive rubro, sive simplici, sive argento auroque interlito, prout ordinis cujusque ratio postulat. Rogabant igitur, quanam sua culpa, tam fortunato homini, ex improviso fortuna terga vertisset. Qui respondit; neque illum fortunam unquam respexisse, neque latifundiis prædiisque locupletatum fuisse, quorum fructus tantos illos tamque ingentes sumptus sustinerent. Sed mirum est, quomodo ita instructus ad malitiam fuerit, ut callidis consiliis ac dolis eam sibi vim auri paraverit, quæ tam diu infinitis ejus sumptibus suppeditarit. Principio cum pedem intro in eam insulam tulit, egens, pannosus, alieni indigens, pane victitabat emendicato ab iis qui, suarum cœnarum reliquiis, pauperum inopiam alunt: cum ecce tibi, ex improviso, auri montes adeptus, ex Iro fit Crœsus vel Attalus; atque ædes magnificentissimas, magna mercede conductas, Attalicis peristromatis ornat; penum, granarium, cellam vinariam instruit; ex honestis hominibus familiam cogit; circumpedes multos varia veste induit; quotidie exornat ample magnificeque triclinium; nullum vas exponit nisi argenteum; Cereales mensas dat, quarum reliquiis catillones se complures implebant. Quid multa? Herculi quotidie sacra fieri existimasses. nummos aureos modio ac trimodio metitur. Rei novitas ad sese omnium oculos attrahit. Spargitur in vulgus, ejus domi aurum effici. Atque hic rumor Regis sacrorum aures attingit. Qui, pro imperio ac potestate, dat Quæstori negocium, ut quærat, investiget, inspiciat, num aurei

illi nummi, quibus ille circumfluebat, probi ſint, an adulterni. Qui nullam interponit moram, ſed una cum lictoribus hominem adit, aurum proferre jubet. Qui alacris profert. Quæſtor nummos ſumit; ſemel, atque iterum, ac ſæpius inſpicit; ac nihil deprehendit in eis vicii. Miles, quo res clarior atque teſtatior exiſtat, eorum non parum multos atque omnes duplos, forcipe cædit, quo melius, ſi quid forte intus fraudis occultetur, appareat; eoſque deinde, tanquam faſtidiens, abjicit, & colligendos lictoribus tradit. Quæſtor ita diſcedit, ut eum & copioſe ornatum, & omnis fraudis ſuſpicione vacuum arbitraretur. Id Quæſtoris arbitrium tantam illi divitiarum opinionem confecit, ut palam omnium ad eum concurſus fierent, tanquam ad Midam, ut inaurarentur. beatus ſibi videbatur, qui poſſet illi aurum credere, quod paucis diebus poſt pulchre ſibi fœneratum diceret. Augebat hanc de ſe opinionem ſumptu ac magnificentia. qua eatenus prodibat, ut certis quibuſdam anni temporibus, præſertim Aphrodiſiis, Veneris honoris gratia, cui ille militabat, puellis aliquot innuptis veſtes præberet; daretque operam, omnibus rebus inſtructum paratumque convivium ut eſſet; ad quod non ſolum ſummates viri, amicique omnes, ſed quicunque vellent, adhibebantur. Qua liberalitate, in eam opinionem homines adducebat, ut pro certo crederent, auri conficiendi rationem à pleriſque tentatam, ſed à nemine adhuc inventam, ipſum ſolum tenere. Neque ipſe diſſimulabat. nam palam ſæpe multis audientibus dixit, in manu ſua eſſe, paucis horis, nullo fere labore, auri maſſas, quantas vellet, habere. Neque dicto fides aberat. Etenim cum non parum ſæpe infiniti illi ſumptus, quidquid erat domi, nummorum hauſiſſent, ac ne teruncius quidem unus veſperi ſupereſſet, poſtridie mane aureorum acervi in menſa conſpiciebantur. Oris commendatio, & naturalis quædam virtus orationis, non parvam iis, quæ dixerat, fidem conciliabat. ea enim erat ſermonis efficacia, ut videretur non poſſe obſiſti. Præterea tantos ſibi ſpiritus, tantam arrogantiam ſumſerat, ut par eſſe principibus poſtularet, ſummorum Regum oratores præ ſe contemneret, ac principum civita-

civitatis affinitates appeteret. Qui hac fama impulsi, quod illi Iuppiter de cælo aurum plueret, ultro etiam veniebant, ut gnatas ipsi suas in matrimonio collocarent. Sed ex omnibus conditionibus, Viæ filia placuit, virgo formosissima, & Regum etiam aliquot stirpi annexa. Iamque prope erat, ut in viri manum conveniret; (nam convenerat, ut ne quid ea dotis ad ipsum afferret:) quæque opus erant ad nuptias aderant omnia; conopea, quæ Reges etiam ipsos decerent; rhedæ serico constratæ, auroque contectæ; varia vestis ac sumtuosa, ad ornatum epheborum atque circumpedum; aliaque id genus quamplurima. In quibus comparandis æs alienum grande conflaverat. Quod ubi virginis matri oboluit, (est enim ea sagacitate, ut decipi non possit,) continuo, ex ipsa re, incidit suspectio: Hem æs alienum contractum, argentum fœnori sumptum, credita pecunia res emptæ; non cohærent, nam si fontes auri nosset, ut prædicat, nulla versura, sed præsens pecunia, ad res emendas adesset. profecto hujus magnifica verba, ni fallor, aliquid doli alunt. Atque ab hoc suspicionis aditu ad ejus doli cubile ita pervenit: creditores militis vocat; quid de eo suspicetur, exponit. dat illis consilium ut prætoris decreto, tanquam si non sit solvendo, & fugam adornet, eum abripiendum in carcerem curent. nam, si hanc contumeliam tam insignem in se accipiat, neque argentum promat quod illis persolvat; manifesta res est; hic merus est sycophanta. Illi consilium laudant, gratias agunt. curriculo ad prætorem eunt, desiderium suum exponunt. Ille, cui militis insolentia erat invisa, ejusque immoderati sumptus suspecti, nihil illis est ausus negare; sed jubet, ut ante noctem in vincula conjiciatur, nisi vel debitum integrum solvat, aut satis vel cauto det. Itaque ille miser lictorum turba circumfusum se antea videt, quam aut id leviter odorari, aut aliqua ad ipsum permanare potuerit; præsertim cum animum attendisset ad cavendum. neque, ut socors & ignavus, se in eorum potestatem tradit; sed, educto gladio, conatus est ferro viam sibi munire ad fugam. sed frustra. nam à duce lictorum percussus in capite, coactus est consistere, seque constringendum ab-

 ripien-

ripiendumque in carcerem tradere. ubi paucos post menses, ex animi ægritudine, diem obiit supremum. Sed compertum est postea, nullas illi nuptias cordi fuisse, unde enim uxorem, eo præsertim genere ortam, cum tanta familia aleret, cui nihil erat in terris ubi in suo pedem poneret, neque aliud aurum vel argentum conficeret, nisi quod dolis atque fallaciis ex aliorum crumenis exprimeret? sed, solum, inquam, fuisse propositum, per simulationem nuptiarum, alios usque ad vivam cutem auro tondere, & in primis mercatorem locupletissimum magno adamantium numero circumducere, qui omnes erant talenta auri ad quinquaginta. à quo si clam, precario, vel simulatione emptionis, potuisset auferre; celocem habebat paratam, qua se in patriam reciperet, ac fuga rem solveret. Sed in primis ad eos avertendos, usus est occasione conjugii atque nuptiarum. nam ideo se velle eos emere ajebat, ut in veste uxoris Phrygio opere elaborata illigaret insereretque. Itaque frequenter ad domum mercatoris venire: phrygionem etiam cum particula quadam ejus vestis adducere: unumquemque adamantem in manus sumere, inspicere; experiri, num loculis in phrygio opere relictis convenirent: dicere, jam diem nuptiarum appetere: sed neque precium solvere, neque certam solutioni diem præstituere; unum instare, de tradendis adamantibus, vehentissimeque contendere. Mercator, qui eos invitus non haberet; Ne unum quidem, inquit, ex his potest à me quisquam auferre, nisi præsenti pecunia. Ille elate magnificeque, ut consueverat, loqui, ac, Tu mihi, inquit, formidas credere? cui alii sexcenta tanta soli enumerarunt, neque sunt decepti in eis. neque est alter hodie quisquam, cui æque recte credi homines putent. an nescis, quod mox possum te auro totum obruere? Scilicet ita res est, mercator ait; non possunt aliter à me auferri. Tua isthæc magnifica dicta hinc aufer. nunquam enim me hodie inducent ut tibi teruncium credam. At miles, ubi fidem suam sic concidisse animadvertit, continuo despondisse eum animum ajunt.

Tum unus, qui sermoni interest; Miles hic astu maliciaque victus est, inquit, à Geta, qui anno superiore ex

ulti-

ultimis ac remotissimis orbis terræ partibus in eam insulam, unde solvimus, venerat. Hic captus amore Philargyriæ, Agathonis clepsydrarum artificis uxoris, munera illi miserat, armillas, periscelides, torques, inaures, anulos. Quæ omnia ab aurifice amico suo mercede conduxerat. Sed cum jam suam ex ea libidinem explesset, ac pertæsus mulieris avaritiam esset; rationem excogitavit, qua ea, quæ dederat, eodem unde venerant reverterentur. Quæ sane ratio feliciter cessit. Venit die quodam ad mulierem domum, perturbato similis. Quem illa continuo, quid tristis sit, rogat, quidve turbatus? Quia, inquit, mihi litigium fuit cum aurifice, unde emi aurum, quo te donavi. Qui quidem insanit de precio, neque quidquam pudet. &, quia scit, illud ad te advolasse, neque me posse reddere, litium terrore ad suas conditiones conatur attrahere. ac modo, se mihi dicam scripturum ait; modo lictores & carcerem minitatur. denique multis modis ferox est, atque acer. Sed vin' tu facinus lepidum, quo oculi illi doleant, facere? redde aurum, quod dedi, ut sibi habeat; ita enim illum probe ulciscemur, si ea iterum venalia sit habiturus, quæ jam se vendidisse crediderat. tu interim hanc syngrapham collybisticam cape, nuper ad me domo allatam; unde talenta bina statim accipies; quæ vel in novis ornamentis, vel, si magis libeat, in fœnore collocabis. Mulier, quamquam astutia atque malicia infra se alias omnes longo intervallo relinquat; attamen, majoris spe lucri, barbari hominis consilio superata est: &, continuo, accepta syngrapha, data omnia restituit. Quibus ille acceptis, & aurifici, qui locaverat, redditis, velis remisque contendit in patriam. Mulier vero decepta, talenta illa in somnis exegit.

Dum nos mulieri catæ ab homine externo tam pulchre os sublitum fuisse ridemus; ecce tibi lembus contra nos remigio contendit; neque aves, neque venti citius. Vbi, cum abesset à nobis propius, hominem inter lictores quatuor medium & catenis vinctum aspicimus. Qui statim à navarcho est cognitus, atque, Apollinis æditus, inquit, à fuga retractus, ad judicium, vel ad supplicium potius, attrahitur. Nos, vicio humani ge-

neris, incendimur studio cognoscendi ab eo, cujusnam rei capitalis affinis inveniretur? Qui non invitus huic nostræ cupiditati morem gessit. Atque, Hic, inquit, æditυus ingenuum formosum puerum, qua est in his rebus cupiditate, ad insaniam adamabat; ac tundendo atque odio dabat operam sedulo, ut in cubiculum suum perduceret. sed non poterat perficere. nam puer, gnarus qua de causa arcesseretur, novas semper causas fingebat ne veniret. At ille, libidinis æstu tanquam furiis actus, hanc excogitavit rationem, qua ad se vel invitum attraheret. Erat puero in deliciis accipiter, ita ab eo assuefactus, ut, missus in sublime, ad ipsum cum præda in pugnum reverteretur. Hunc, dum puer domo abest, æditυus ad se deferendum curat. Itaque mittit, qui pueri verbis eum sibi dari efflagitent, quem dicant in proxima urbi villula aucupio operam dare, ac vehementer avem illam cupere in prædam emittere. Familiares, qui nihil suspicarentur, sine mora dederunt. Puer domum rediens, neque accipitrem videns, quid eo factum sit, rogat. Illi datum esse ajunt homini misso à se ex proxima villa, ubi aucupabatur. Ille clamare, ac flens dicere; Nullam à se villam inspectam, nullum aucupium institutum, nullum hominem missum. sed ubiubi est, diu ille celari non poterit. nam omnia odorabor, omnium ædes interrumpam, inspiciam, omnes in eis angulos perlustrabo. Sed quærenti fit obviam æditυus. Qui, Scio, inquit, quid quæras. sed quærendi operam lucri facito; meæ domi tuus est accipiter. veni, sis; nihil est in me moræ, quin statim accipias. Puer, cui nihil longius videbatur, quam dum accipitrem suum recuperaret, sine alia cura æditυum præeuntem sequitur, ejusque cubiculum intrat. Ille statim pessulum ostio obdit, ac misere multis precibus, blanditiis, ac promissis puerum, ut sibi sit morigerus, orat. Quæ audiens, vix tandem misellus ille in eas se plagas induisse cognovit, quibus nihil antea æque metuerat; ac multis cum lacrimis orare hominem cæpit, ut sibi haberet accipitrem, tantum abeundi potestatem faceret. Æditυus eum modo promissis lenire, modo minis terrere, quo sibi obnoxium redderet. Sed, cum nihil proficeret, ad vim confugit:

ac duplex telum exeruit; atque, Vtrum, inquit, vis, elige. nam, velis, nolis, alterutrum tibi excipiendum est. Horribilis ejus facies fecit, puer animi ut incertus foret, utri necandum se traderet. non enim satis erat exploratum, unde levius esset vulnus accepturus. Sed, dum deliberat, venit æditus ab ejus fani antistite nuncius, ut relictis rebus omnibus curriculo ad eum contendat. esse enim ipsi opus eo convento. Qui vocatus accurrit. Puer vero solutus omni periculo, diis gratias agens, sine accipitre domum revenit; ac vix sui compos, ex metu, patri rem omnem, sicuti gesta erat, exposuit; ac, Nisi, inquit, bonus ille antistes, quamvis nesciens quid boni ageret, subvenisset, filio tuo discisso disruptoque funus hodie curasses. Pater ira percitus ad antistitem venit; æditui flagitium narrat; ac primum diis, tum ipsi, se vitam filii referre acceptam ait, qui impuratum illum accersiri jusisset; secus enim ille cruciatu maximo peremptus apud mortuos esset. Antistes, æditui sui nequitiam ferens indigne, amicissimis verbis à se hominem dimittit; & simul se curaturum spondet; ne qua in posterum filio ipsius ab illo oriatur injuria. Neque expectavit dum ira defervesceret; sed statim æditum ad se accitum, ut par erat, objurgavit; jussitque ut statim, atque accipitrem ad puerum retulisset, urbe illa, atque adeo tota insula, ante noctem excederet. Qui dicto audiens, sed plenus iræ ac malevolentiæ, ad pueri domum venit, commodum cum pater abesset: eumque ab ostio provocat foras: sed casu tum puer torminibus excruciatus, lectuloque affixus, prodire non potuit. At ille accipitrem ancillæ cum redderet, cultrum, quem sub veste contexerat, profert atque, Hic, ait, illi totus intra viscera excipiendus fuerat, si prodiisset. ejus enim causa hinc exul ejicior. Ac statim deinde pateris, patellis, urceis, phialis, acerris, argenteis omnibus, quibus Apollini sacra fiebant, convasatis, clam in proximam atque huic imperio subjectam insulam fugit. Vbi in patella ferrea, à caupone, apud quem diverterat precario accepta, vasa illo sacra comminuit, ut ad ignem eliquata in unam argenti massam redigerentur. Sed vix ignem sensere, cum

ſtrepitus, crepitus, ſonitus, tonitrus, ſubito, propere & valide tonuit, ita ut ædes ruere viderentur. Accurrit caupo, & familia ejus tota, ac patellam illam, ad ignem appoſitam, cum fruſtulis illis vaſorum, & ſacrilegum illum, eo crepitu ad terram abjectum, aſpiciunt. Sublatum magiſtratibus tradunt. A quibus in cuſtodiam datus, juſſus eſt de vinculis apud ipſos cauſam dicere. Nunc vero ad antiſtitem fani, quem expoliaverat, mittitur, ut ibi de eo legibus judicium fiat, vel potius, ut de confeſſo ſupplicium ſumatur. Audierat hæc quidam, quem ex ſupercilio, quadam quaſi nube obducto, promiſſaque barba, ac dentibus atris, eſſe ſapientem intelleximus; qui, ſuſpirio alte petito, hæc contra laſcivos amores verba fudit ſapientia,

Hei, mihi quis numeret quæ fert non ſanus amator?
Ah, gravis interdum mors venit atra minus.
Sæpe ſibi miſero ſua gaudia luget adempta,
Sæpe dolet læſam conqueriturque fidem.
Solane mortales, inquit, perjuria mentes
Verſant? ah, nullum crede fidele caput.
Tamne cito fugiat, venit quæ ſera voluptas?
Tam fixus triſti ſit mihi mente dolor?
Vera quidem memorat, duro eſt de marmore damnum;
Sed bona de fragili dixeris eſſe luto.
At tibi ſi placeat ſtabilis ſimplexque voluptas,
Illa eſt æthereis ſola vocanda locis.
Vel ſi par petitur, ſimiliſque in amore, voluntas,
Mens eſt in facili tota locanda Deo.
Mutuus inde poteſt contingere pectoris ardor:
Cetera ſunt tacitis inſidioſa dolis.
Et nuſquam niſi vera trahes ſolatia cælo,
Gaudiaque impuris non violata notis.
At quæ pulchra nitent, mutatos reddere vultus
Tam cito cum videas, nec tetigiſſe velis.
Lubrica ſunt, moneo, liquidoque ſimillima cælo,
Quod nunquam nitido jugiter ore micat.
O quoties ſubito nigra caligine claudi
Eſt viſus, fuerat qui ſine nube, dies!
Quam multos videas lætos tumidoſque ſecundis
Rebus; poſt liquido rore rigare genas!

Fortunæ celeri versamur turbine, vasto
Navis ut in pelago, dum furit aura Noti.
Nam modo, quæ saliens feriit vaga sydera, puppis
Tartara præcipiti tendit ad ima pede.
Quam sæpe aurata conspectus nuper in aula
Cogitur in viles pauper abire casas!
Nulla fides igitur sit inanibus addita rebus;
Quæ permista malo damna pudore ferunt.
Ingeniique bonis securus nitere. namque hæc
Firma manent; mutant cætera sæpe vices.
Dumque licet, pulchris animum virtutibus orna,
Innocuos peragens & sine labe dies.
Sed longas ne necte moras. nam diffugit ætas,
Et properans nigro mors venit atra pede.
Ac tibi post tardum incutient tua damna pudorem,
Et mage, si feriat conscia corda, timor.
Si redeant votis acti male temporis horæ;
Queis superos precibus sollicitare velim,
Redditus ut mihimet, commissa rependere damna,
Spesque simul nitar sumere mente novas,
Tuque vaces culpa? Memori si mente recurras,
Præsentem nobis semper adesse Deum;
Et superesse novos post ardua fata labores;
Infernasque domos; Tisiphonemque feram;
Sævaque terrificis horrentia monstra colubris;
Nigraque sulphureis ire fluenta vadis;
Æternasque oculis lacrimas sine fine cadentes;
Quæque nihil frangunt pectora dura, preces;
Præclusamque viam miseris, nomenque salutis,
Quod rigido fixæ stent adamante fores.
Tunc tibi nec noceant oculi crinesque puellæ;
Præstinguatque aciem nec male fultus honor.
Quin si fœdus amor cervicibus hæreat, ultro
Captivo retrahas libera colla jugo;
Turpibus ac niveo pulsis è pectore flammis,
Non tibi post simili ferveat igne jecur.

Videbatur fuisse plura dicturus, nisi orta inter nautas rixa omnem ab eo concionem avocasset. Nam cuncti eam sedatum ierunt. Itaque à corona relictus obticuit, neque inccœptum carmen, & ad finem laborans, absol-

 vit.

vit. Nos vero soli in stega relicti, occupamur ab uno ex illis philosophis, quos Minervæ castitatem suam dicasse supra commemoravimus. Cujus si faciem aspexisses, quantivis tibi precii visus esset. ea enim illi in vultu severitas inerat, ea in incessu gravitas, ut Socratem vel Xenocratem, aut aliquem ex veteribus illis Philosophis dixisses, qui incredibili robore animi & continentiæ indole præditi, respuerunt omnes voluptates, & directum ad virtutem iter habuerunt. Hic nos, inquam, aggreditur, ac salvere prior jubet. Tum, Novi vos, inquit. nam sæpe vidi ire una cum Gallonio in via. Sed quid vobis venit in mentem, eam urbem relinquere, qua non facile est in toto orbe terrarum invenire alteram neque venustiorem, neque deliciis pleniorem? omnino Amor, Voluptas, Venus, venustas, gaudium, ludus, jocus, ibi habitant, & amœnitates suas exercent. Quantarum misero mihi ab ea per vim avulso voluptatum distractio, dissidium, vasticies venit! Cum me ab ea sejunxi, & in navi pedem posui, sensi partem mihi viscerum mearum abrumpi. Sed fieri aliter non potuit; superioris jussum urgebat; obsequendum illius mori atque imperiis fuit; qui me in proximam insulam, sectæ nostræ propagandæ causa, & in primis castitatis amorem in hominum animis frequentibus ad populum concionibus inserendi gratia, mittit. At vobis, quantum intelligo, ad indagandas percipiendasque voluptates dux defuit. nam si me magistrum adhibuissetis, in quas vos ego regiones voluptatum deliciarumque deduxissem? Sed facere non possum, quin signa & notas locorum indicem; quibus cognitis, si vos illuc iterum redire contingat, velut aurum, innumerabiles voluptates ipsi vobis fodere, & nullo errore invenire possitis. Facite igitur, ut memori hæc animo dicta inhæreant. Sed fugit memoria, nisi litterarum præsidio retineatur. Habetis hic tabellas & stylum? Minime, inquam. sed habemus pugillaria. Recte ait. Scribe igitur. Si vos meritricum munditiæ capiunt, Clæretam lenam in vico Tusco adite. ea ad vos puellarum greges adducet; atque eas siccas, succidas, quam lepidissimas, quam adolescentulas maxime; &, quod refert, minime vulgo pollu-

polluctas; ac tam multas, ut quotidie conditiones mutare possitis. At, si virgines vos delectant magis, in foro boario Phanostratam petite. ea semper bolum aliquem habet domi sepositum, quem vobis advenientibus objiciat. Vel, si inveneritis vos ipsi quod ametis, in ea re utilitatem faciet, ut cognoscatis suam. nam ea eloquentia est, ut vel virgines Vestales possit ab earum septis abducere. Verum, si nuptæ nobiles cordi sunt magis, non est discedendum in hoc genere ab Angello nostri ordinis. ille solus quantum est ibi matronarum habet in potestate. ac vobis indicabit, quali unaquæque earum sit pede, quo femore, quibus brachiis, clunibus. nam quamvis summe officiosus sit, æque tamen sui meminit; neque mulierem fere aliquam alteri utendam exhibet, quin sibi quoque usurariam faciat. Ille igitur, honoris mei gratia, summo genere, summaque pulchritudine matronas dabit, quibuscum voluptates maximas capiatis. Sed distrahit me à vobis debitus Minervæ majorum gentium numini à nobis cultus, quo deam quotidie certis quibusdam precibus veneramur, ut sit propitia, neque castitati, quam profitemur, maculam aliquam aspergi permittat. Abeunti Paulus Æmilius, Grates tibi, inquit, agimus. &, si ea nobis repetenda urbs sit, in illo tam vasto deliciarum mari, quod prædicas, imperiti ac rudes, cum eo, quem ostendis, cortice nabimus.

Sed, eo ab oculis amoto, unus, qui furtim ejus dicta sublegerat, O tempopa! inquit; ô mores! en cui tuas mulieres credas! en cui tuos liberos in disciplinam tradas. iisdem enim præceptis teneras illorum mentes effingit quibus vos conatur imbuere. & hic homo tam continens ad exteras nationes laudator castitatis publice mittitur! quem, cum dicere cœperit, concio tota, tanquam è sinu Minervæ delapsum, aspiciet; eo impetu, eo ardore animi, ea gravitate verborum sententiarumque, libidinis vitia persequitur. sed, simul ac peroravit, si virginem, vel nuptam, in quam lascivire possit, offendat, statim re ipsa ostendit, quænam sua ipsius sit de tota hac re voluntas atque sententia. Angellum vero, quem nominat, pudet dicere nefanda ex sese

quæ

quæ dedit. nam, quod fecit flagitii, poteſt populo viritim dividi. quam multis ille matribus familias pudicitiam expoliavit! quam multis probrum caſtis, labem integris attulit!

Ac ſermonem longius protraxiſſet, niſi interpellatus fuiſſet fauſtis acclamantium vocibus, Euge, evax; venit, venit. Nos caput attollimus, ac triremes ad triginta celeri adverſus nos curſu tendentes aſpicimus. Hæ dicebantur Parthenium dynaſtam vehere, virum principem, omnibus naturæ fortunæque bonis cumulatiſſimum; qui, non ita multo ante in eum ordinem allectus, veniebat, ut una cum aliis dynaſtis Remp. illam capeſſeret. Ingentes viri principis virtutes, uno ore ab omnibus ſummis in cælum laudibus elatæ, injecerunt nobis cupiditatem ejuſdem non nævo aliquo, ſed corpore, ut dicitur, omni cognoſcendi. Ac certatim unuſquiſque huic noſtræ cupiditati conabatur occurrere. Sed unius tandem aptior ad hoc munus eloquentia vicit. qui, Si velim, inquit, omnia, quæ de eo dici poſſunt, exponere, dies me antea deficiat quam oratio. atque in demortui dynaſtæ locum ſuffectus, plus illi ordini ſplendoris attribuit, quam ab eo ipſe acceperit. nam quamvis locus ille æque ſummis atque infimis pateat; nec magis dynaſta ſit qui ex ſummo loco, quam qui ex infimo in eum ordinem venit, attamen laude & gloria præſtat alius alii longiſſime. Hic ex longa planeque innumerabili Regum maximorum ſerie ortus, in ipſo ætatis flore, & in ſumma rerum omnium affluentia, legem ſibi ipſe indixit innocentiæ, virtutumque omnium. atque, ſi, detractis omnibus viciis, fingendus nobis ſit omni laude cumulatus dynaſta, hic profecto quaſi forma eſt & character eorum. &, quemadmodum nihil eſt tam in aliquo genere perfectum, quin perfectius ſit id unde illud, tanquam ex ore aliquo, quaſi imago exprimitur: ita etiam, ſi quis ſeſe ad ejuſdem vitæ ſimilitudinem formet ac fingat, longe infra ejus excellentiam inveniatur. Nullæ latent in ejus animo ad occultandas inſidias latebræ, nulli receſſus, nulla ſunt illi ad decipiendum inſtructa in corde conſilia, nulla infuſcata malevolentia, vel aſſueta mendaciis, vel fucata, vel fallax,

vel

vel erudita artificio ſimulationis ratio ineſt. Pietatem, religionem, juſtitiam, ſua ſponte, non quæſtus, aut commodi cujuſquam gratia, colit. Præterea præſtat ingenio, eruditione, doctrina. Domus ejus litteratorum hominum frequentia celebratur; ita ut quædam velut officina ſapientiæ exiſtimetur, ubi ſtatim ex omnium ingeniorum flore Academia excitabitur; quorum doctiſſimis ſermonibus, qui harum politiſſimarum artium ſtudio tenentur, mirifice delectentur, atque proficiant.

Sed attentos nos interpellavit ſubitus nautarum cachinnus ac ſibilus; quos navarchus, vir prudens, qui ſciret quid riderent, acri caſtigatione compeſcuit, ac tacere juſſit. nam, cum reſpexiſſent, triremes quatuor viderant, quæ dynaſtas aliquot in regnum Geryonis reportabant, unde ad Regis ſacrorum comitia velis remiſque contenderant, perſuaſi à mathematicis, qui ex poſitione aſtrorum prædixerant, intra paucos dies Regem, qui tum rerum potiebatur, orco deſtinari. ſed, cum vidiſſent, menſem ab ea prædictione jam elapſum eſſe, neque ſpem aliquam oſtendi, ut apud inferos Regis dicam ex urna Minos educeret, triſtes, nec ſine riſu, eodem unde diſceſſerant, revertebantur.

Verum amœnitatem, feſtivitatem, lætitiamque exercentibus ceteris, unum aſpiciebamus, ſeorſum ab aliis, triſtem, capite demiſſo, tabulatum obtueri. Paulus Æmilius, ſive miſericordia, ſive vitio hominum qui ocio diffluentes aliena curant, eum adiit, rogavitque quid triſtis eſſet; cur, aliis in lætitiam effuſis, frontem contraheret, aliorumque lætitiæ velut oppederet? Qui, Hanc, inquit, mihi triſtitiam bellus creat affinis meus, qui ſororem mihi ſuam in matrimonio collocavit. nam cum domi meæ dotem enumeraſſet, quinquaginta videlicet minas, mihi dat virginem in manum. ego, tum ejus quamprimum potiundæ deſiderio incenſus, quia forma non mala eſt, tum etiam, ut concubitu firmiores eas nuptias efficerem, cum nova nupta me in cubiculum abdo, atque ocioſus ab animo argentum ibi enumeratum in menſa relinquo. at bonus ille vir, interea dum me intus cum ea oblecto, ſublato argento, clanculum ſe ab ædibus foras ejecit, nihilque mihi reliquum fecit niſi

plorare.

plorare. eo nunc in proximam hanc insulam, quo profugisse eum ajunt, ut lege judicioque quod mihi sublatum est persequar, vel potius, ut prædoni illi animam adimam. Cui Paulus Æmilius; Næ tu flagitiose stultus es, ait, qui alteri malum pro bono, injuriam pro beneficio rependas. tune satis pro merito gratiam illi referas, qui tibi uxorem, placidam tanquam ovem, reddidit? non enim, dote freta, ferox esse in posterum poterit; sed te in domini loco verebitur, metuet, atque omnibus tibi in rebus morigera erit. Deme igitur supercilio nubem, teque una cum aliis hilarem præbe, ac, si me audis, domum revertere. nam, si uxor tibi forma est luculenta, ut dicis, cum illic sint voluptarii ac locupletes tam multi, manipulatim munerigeruli ab illis convenient.

Sed, cum maxime miserum illum consolari conatur, prodit alter, æque tristis; atque, Huic, inquit, dos; mihi uxor est elapsa è manibus, neque, postquam fugit, inveniri uspiam potuit. uter ergo nostrum miserior vivit? Cui Paulus Æmilius; Ain'? fugit? at eam diligentius tuis propinquorumque tuorum custodiis asservatam oportuit. quod si fecisses, non eam nunc lugeres amissam. At ille, Nimis quidem eam arcte habui. nam, & quod misere amabam, & quod crebræ adolescentium quotidie præter ædes meas itiones reditionesque suspectam mihi reddiderant, ne latum quidem unguem pedem domo sinebam efferre; neque Argus ita vaccam à Junone sibi commissam custodiebat, ut ego eram oculatus in mea servanda. Cujus rei facultatem meum mihi artificium dabat. Etenim coquus sum, ex eo genere, qui nunquam eunt foras coctum, ut ceteri, sed domi, quod mihi affertur, curo, atque ita suavitate condio, ut placere etiam mortuis possit. quamobrem nunquam mihi opus deest. Verum proximis Cereris vigiliis à me opere petivit maximo, ut se in ædem Cereris ducerem; atque ita apte elocuta est ut persuaserit. Itaque circiter quartam noctis vigiliam surgo, Vulcanum in cornum includo, atque, ut me præeuntem sequatur, jubeo. Imus, atque angiportum sordidum ac lutulentum intramus: sedulo eam moneo, ne luto vestigia defigat, atque, Leonica, inquam, (id est illi

illi nomen,) cave lutum, cave lutum, Leonica. Respicio; sed Leonica jam è conspectu evolarat. Ego exanimatus accurro, ut euntem persequar. sed nugæ: noctis enim beneficio occultatam assequi non potui. Nihilo magis tamen quærendi labori vel operæ parco, (nimis illa quidem cordi cara est meo,) sed perrepto totum oppidum, ad ædem Cereris, ad ædes amicorum, propinquorumque, quo non? Nunc statutum est mihi, circumjectas huic imperio insulas omnes eam quæsitum adire, neque antea quærendi modum facere, quam inveniam, inventamque mecum domum reportem. Tum P. Æmilius; O stulte, inquit, quereris, te fuisse molestia ac sumptu levatum? Quod si ægre tibi illud est tamen, quod careas uxore, summaque in ea voluptatem ponis; redde huic dotem, quam à tua acceptam retines; tu vero suam ab eo uxorem accipe. nam, si sapit, remittet tibi istam voluptatem, & ea se carere patietur. ita utrique vestrum, quæ optat, evenient; illi dos, tibi uxor. Valete.

Interim ex alto procul insula illa conspicitur, unde æditum ex fuga retractum esse narravimus. Placuit navarcho, illuc navem appellere, ut vinum, quod ibi præstantissimum nascitur, emeret, & in navim imponeret. Accedimus, portum intramus, ibique adolescentem vita functum audimus, qui dynastæ Vio fuerat in amore atque deliciis, quique ex maximis divitiis, quibus ab eo fuerat locupletatus, sua stultitia, ad summam sese inopiam atque egestatem adegerat. De hoc adolescente narrabant, cum olim ejus dynastæ, quem diximus, domi honorarios inter ephebos aleretur, ac propter summam ejus superbiam insolentiamque ferri non posset, jussum esse domo illa egredi, & in malem rem, quantum potest, abire. Itaque ab omni ope desertum se in patriam recepisse. Vbi, cum neque arrogantia, neque insolentia desisteret, sed nova quotidie designaret, raptum fuisse ajaebnt in vincula. Sed ea, solita audacia, rupisse, ac rursus ad dynastam ex fuga venisse: egisseque per amicos interpretes summates viros, ut, honoris ipsorum gratia, apud illum

illum in veterem amicitiæ gratiæque locum restitueretur: quibus dynastam audacter respondisse, se quidvis antea passurum, quam talem domi suæ virum habere: tum demum illum, de hac spe dejectum, novam tentare fortunam, novasque amicitias experiri constituisse; atque eadem opera lembum conscendisse. Sed operæpretium est, intelligere, quemadmodum Neptunus, qui nosset, fortunam, quam ille quæreret., esse in ea terra quam linqueret, eum à mare repulerit. Evolarat jam è conspectu lembus, ventis operam dantibus: cum Neptunus jussit Æolum receptui canere, ac ventos navigationi illi secundos contrahere, vinculisque constringere, adversos autem solvere, qui mare commoverent, eodemque, unde solverat, lembum impellerent. Ille, Neptuni imperiis obsequens, ventos illos è carcere eductos immisit in mare. Sed vix eruperant, cum, impetu facto, lembum invadunt, ac versoriam capere, seque ad relictas regiones recipere cogunt. Ad litus igitur ejectus, egens, ac pene pannosus, quam spem aut opem, aut rebus suis consilii quid capesseret., non habebat. Aberat illis diebus dynasta Vius, ac villarum suarum amœnitatibus fruebatur. Verum aderat Styliolus adolescens, qui tum temporis apud dynastam illum plurimum auctoritate & gratia pollebat. (nam eximium semper aliquem habuit ignavum, inertem, sine gente, sine nomine, cui præmia rei pecuniariæ magna tribueret, locupletemque ex egente, neque tam dicto audientem, quam sibi imperantem, efficeret.) Sperabat igitur, si commendaticias eo ab adolescente ad dynastam litteras accepisset, fore sibi in proclive quod cuperet. Itaque astute ac maliciose hominem adiit; atque his verbis alloquitur: Emanavit in vulgus, commeruisse me culpam, quam propter dynasta me domo foras ejecerit; idque magnam ea res mihi offensionem & contemptionem apud omnes attulit. Oro, obsecro, ut mihi subvenias, & conceptam hanc nomini meo maculam deleas, quæ omnes cogitationes, omnia consilia, omnes spes meas evertit. Te deprecatore, dynasta nihil denegare cuiquam audet. Scribe ad eum, ut mensem unum, neque eo amplius, me suorum familiarium loco ac numero habeat, quo elapso, ipse me pro ex-
punctο.

puncto habebo, ac, si per te licebit, quasi ab eo exauctoratus, tuam in domum, tanquam in aliam militiam, transibo, tibique famulus serviam. Homo ventosus, gloriarumque plenissimus, gloriosum sibi fore putavit, si palam fieret, homines, dimissa dynastarum familiaritate, quod apud eas gentes honestum in primis existimatur, in beneficio & gratia suam appetere. Itaque inflatum accipit; atque ad dynastam litteras dat; in quibus hæc omnia exponit; & majorem ab eo in modum petit, ut exorari se sinat; & adolescenti animum expleat; nihil enim sibi gratius posse accidere, quam ut adolescens intelligat, se ab eo tantum amari quantum ipse existimat. Obsignat litteras, atque adolescenti tradit. Qui statim ad dynastam refert; qui tum ruri erat, ut diximus. neque dubitavit, æstate summa, meridie ipso, duodecim millium iter pedibus facere. Dynasta, litteris lectis, ac vehementi illa commendatione expugnatus, exclamat, Vincat; dummodo sciat, eum, quem commendatum tantopere cupiat, quandoque suis rebus exitio futurum. Neque ita multo post cœpit omnem illi honorem habere; videlicet, ceteris, ut mos est illarum partium, honoris ergo aperto capite coram ipso stantibus, soli innuere, ut se tegeret, soli sua consilia credere, soli rerum suarum fidem habere, soli res omnes, quibus aliqua inesset utilitas honorque, mandare, illum in oculis ferre, solum adhibere convivam sibi, solum ipsi in cubiculo socium, in rheda proximum esse. Quæ ubi Styliolus & litteris multorum, & sermone omnium accepit; sane, ut par est, commotus, scribit ad dynastam, mirari se vehementer, quod adolescentem nondum sibi remisisset: mensem enim jam præteriisse; quo elapso, ipsi se ille quodam quasi sacramento obligaverat. Dynasta adolescenti litteras tradit; mandatque, ut, quæ sibi videantur, ad illius postulata rescribat. Qui statim Styliolo respondit, ejus se impudentiam, vel stultitiam potius, satis mirari non posse, quod, tanquã à bajulo aliquo mercede conducto, suas ab ipso operas exigat, qui plures domi suæ alat, honestiore, quam ipse sit, loco ac genere ortos, qui ipsi latrinam lavent. quamobrem posthac cavebit malo, si sapiet. nam, si pergit esse odiosus, sentiet, qui-

cum ipsi res sit, quemque hominem habere ludibrio postulet. Dynasta vero, ex rure in urbem reversus, data perpetuando atq; etiam exaggerando, majora in dies summi in adolescentem amoris signa præbebat. cui etiam omnibus rebus instrui exornarique cubiculum jussit, conclavi illi impositum, ubi Styliolus cubitare solitus erat. Sed audite hominis insolentiam atque fastidium. Tanta illa apud dominum gratia ferox, totos dies noctesque saltando, cursitandoque, eo Styliolum adegerat, ut neque somnum capere, neque alteri cuipiam rei dare operam posset. is enim erat strepitus, crepitus, sonitus, ut cubiculum una cum ea ædium parte supra caput ejus ruere videretur. De quibus injuriis sæpius questum ad dynastam ivit. sed non aliud ab eo potuit responsum exsculpere, nisi, illum esse puerum; puerorum autem juveniliter exultantium lusus cum risu jocoque ferri oportere. Itaque desperans, simulque, quod nimia pueri illius gratia sibi esset invisa, in ultima ac remotissima urbis parte ædes conduxit, eodemque tanquam exulatum abivit. Sed vix è limine pedem extulit, cum puer cubicula in præstantissima ædium parte, quæ illius fuerant, occupat, ac veterem ab eis possessorem in perpetuum excludit. Sed, quo in dies magis auctoritate gratiaque pollebat, eo etiam arrogantius insolentiusque efferebatur. Qua insolentia eatenus progressus est, ut olim in prandio, cum proximus dynastæ accumberet, neque quidquam nisi pisces ederet, (etenim, ex veteri earum gentium religione, eo die carnibus vesci religio erat,) evenerit, (fortasse quia valide fluctuasset mare,) ut non quidquam fere piscium captum esset, quique aderant, care indicarentur. Itaque apponebantur illi pisces sane vulgares; sardæ, soleæ, mituli. Curaverat autem architriclinus, ut dynastæ siluri libra carissimo empta anteponeretur. Quod ille obsonium, cum prægustasse, ac suave recteque curatum offendisset, honoris & amoris ergo adolescentulo tradidit. Os hominis impudentiamque cognoscite. Circumstabant triclinium viri complures nobiles, honesti, aperto capite, viri illius principis imperia expectantes, ut ad nutum præsto essent. Ille, stulta ac barbara arrogantia elatus, offam illam, caro emptam,

canibus, cunctis spectantibus, objicit. At, qui aderant, mirari, pallescere, horrere; dynasta quietus esse, tantamque adolescentis injuriam tacitus mussitare. Adjecit ad tam insignem despecti muneris contumeliam multo arrogantius factum proxima superiore æstate. Dynasta in propinquam urbi villam suam, vitandi æstus causa, se receperat; cũ Megalobulo cognato suo, qui complura oppidula dominatu regio obtinet, una ibi ut esset: neq; secum quemquam adduxerat, præter circumpedes paucos, & adolescentem, qui noctu, velut corporis ipsius custos, in procœtone cubaret. At ille, nocte intempesta, nemine conscio, surrexit, & ad urbem, citato equo, transcurrit. Paulo post dynasta experrectus matulam poscit; nemo accurrit: nomine adolescentem vocat; non respondet: iterum, ac tertio appellat; nihilo magis. tum è lecto prosiliens circumpedem seorsum alio in conclavi excubantem excitat; lumen proferre jubet; ac copulati quærunt, investigant; atque ædes inveniunt, foribus tanquam faucibus apertis, hominem foras evomuisse, quem, libidine incensum, ac gestientem erumpere, intus continere non potuerant. Fit clamor; accurrunt alii, à quibus intelligunt, adolescentem equum conscendisse, & citato in urbem cursu ad libidines suas explendas advolasse. Sed dynastam male illud urebat, quod abiens ille fores non obserasset, sed apertas reliquisset. fuerat enim in potestate cuivis, vel inimico, vel furi, usque ad lectum venire, ipsumque dormientem opprimere. Atque iratus cognatum Megalobulum vocat, improbum adolescentis factum exponit; enimvero hoc non esse ferendum, sed curandum, ait, ut intelligat, quid sit principes viros illudere. Megalobulus, cui ægre erat in primis, cognati sui famam, ob nimiam gratiosorum suorum potentiam, malevolis iniquorum suorum sermonibus dilacerari, neque antea, ob ejus præstantiam dignitatis, ausus erat eum, ut tantam infamiam fugeret, admonere; continuo datam occasionem arripuit, atque hortari hominem cœpit, ne posthac impuris ac plebeiis istis suam vitam existimationemque committeret: sibi esse ternos liberos, forma atque ætate præstantes, quorum opera strenua atque fideli possit uti, si velit; eos ipsi

 dare,

dare, donare, dicare: de reliquo sibi curæ fore, ne tanta hæc contumelia scelerofo illi, sicut & ceteræ, procedat in numerum. Atque ita ab eo discedit, ut qui homines quatuor robustos, atque ad pulsandum verberandumque exercitatos, se inventurum dicat, qui advenienti ligna tanquam parochi præbeant; adeo ut totos tres menses continuos lecto se commovere non possit. Nec fuit abeundum longius. Nam quatuor, ex eadem familia, quibus adolescens crudeliter imperabat, hanc ejusdem verberandi provinciam ad se receperunt. Neque aliud expectabatur, nisi ut rediret: nam redeunti pro adventicia cœna res mala erat parata: cum ecce solutissimo animo redit, in atrium ædium se infert, recta ad dynastam intrat. Qui una cum Megalobulo suavibus colloquiis pomeridianas horas traducebat. Illi, qui fustes jam ceperant, signum expectabant, quo homini caput, scapulas, & brachia dedolarent. Sed quid existimatis? jussissene, illos in adolescentem irruere, vel saltem eum graviter ab se increpitum suis ab oculis removisse? vel, si minus tantopere sævire vellet, attamen tristiore vultu, quo se commotum intelligeret, aspexisse? Minime. Quid ergo? Accurrens, irruit homini in amplexum, adventum gratulatur: atque, Hodie appositus est nobis, inquit, in prandio pepo, quo neminem ante hunc diem neque formæ melioris, neque succi suavioris me comedisse memini. Vin' degustare? Sic opinor. Accitoque tricliniasta, Refer huc, inquit, eam peponis partem, quam jussimus in cœnam servari; ac fer una tecum œnophorum nivati vini quam optimi. Faciam, inquit tricliniasta, quod jubes. At diligenter, ait ille, at mature. satin hoc mandatum est tibi? Nec mora: affertur pepo; allatum sua ipse manu concidit, adolescenti anteponit; ipse pocula implet, ipse cyathissat; hortatur, ut bibat, & amissas ex itinere vires reficiat. Quo facto permotus Megalobulus statim rhedam conscendit, & in sua se castella recepit.

Dum ita ille sermones cædit, interea in oppidum, edito amœnoque in loco situm, ascendimus. In quo forum maximum, pulcherrimi fontes, tum plures latæ viæ perpetuæ, multis transversis divisæ, privata ædificia quampluri-

plurima atque ornatissima continebant. Sed, dum ille loqueretur, nihil nobis longius videbatur, quam dum dicendi finem faceret. Eramus enim cupidi cognoscendi, quænam esset natura loci, qui ritus, quodque hominum genus. Atque audimus, agrum illum esse eorum omnium feracissimum, quæ sunt ad victum necessaria; vini, olei, tritici: homines vero quietissimos, officiocissimos; à furtis vero ita abhorrentes, ut si qui forte nummi cuipiam excidant, nemo ad eos tollendos sese demittat; præterea hospitum advenarumque adeo studiosos amantesque, ut quemquam, qui illuc se contulisset, violare, vel digito attingere, inexpiabilis cujusdam sceleris loco duceretur. Quibus cognitis, venit nobis in mentem, si vera essent quæ dicerentur, ibi consistere, neque alias regiones persequi, ac maris pericula rursus obire. Quæ postea oratione illorum aliquanto ampliora esse, nos ipsi quoque cognovimus. Itaque sedem ac domicilium ibi nostrum collocare, &, quod reliquum vitæ daretur, traducere constituimus. Atque in suscepta sententia stabilivit nos philosophi illius oratio, qui vitia libidinis erat versibus persecutus, qui ibidem omnes æquo esse jure ajebat, neque plus uni licere, quam alteri. id adeo contingere, quod omnes fere essent pares, neque quisquam alteri dignitate divitiisq; anteiret. quam rem ille in summa felicitatis parte ponebat. esse enim intolerabilem potentiorum superbiam & injustitiam. sibi vero facilem eam esse orationem, quod in eorum iniquitatibus non semel hæsisset, & in primis, quod sibi, bene de aliquot principibus viris merito, quorum nomina non reticebat, pessime gratia relata fuisset. Atque aliud ita orsus est carmen.


Est operæ precium pernoscere divitis artes;
Nempe quibus viciis hic totus langueat ordo.
Quem, quotquot laterant probroso vulnere mentes,
Corripiunt animi morbi, nec deserit ullus.
Hunc primum aëreo ventosa superbia curru
Abripit, admotis & vanum follibus inflat.
Nec sic inflatus tumidos ostendere vultus
Dignatur tenui, rerum cui copia desit.
Iam non humano concretum sanguine; verum

Se putat ætheriis affinem civibus esse;
Ac Iovis æterni solium tetigisse beatum:
Quod prope divinos tradi sibi poscit honores,
Dum patitur, capite obstipo genibusque minorem
Auxilium donis inopem votisque precari.
At neque ventosi tantum gaudetque superbi
Nomine; sed vitiis longe pejoribus ardet.
Surgit amor nummi, & fulvi sitis atra metalli
Insilit exultim, atque imis sedet alta medullis.
Vt cupido rapidis uruntur pectora flammis
Turpis avaritiæ! studioque ut flagrat habendi!
Dum tenui ereptas fidoque impune sodali
Injustus sibi cogit opes, atque addit acervo:
Vel pacta artifices fraudat mercede misellos:
Emptis sive negat precium persolvere rebus.
Nec sævum potis est animum tetigisse querela
Insontum, aut lacrimæ, resonantiaque atria circum,
Creditor elusus querulis quæ vocibus implet;
Dum, Mihi redde meum, magnis clamoribus instat,
Quo pueris caræque simul frigusque famemque
Depellam uxori. scissis quæ vestibus ægra
Sæpe dolet tenebris siccos se jungere soles.
Ipse graves inter gemitus, mœstasque querelas,
Crudelis gaudet lætis accumbere mensis,
Et symphoniacos lacrimis componere cantus.
Iam, quæ sic aderit turpis vel dira libido,
Quæ non continuo venas inflaverit illi,
Ac tumidas rapido victrix impleverit æstu!
Sic, ut nulla quies membris animoque supersit,
Optatam donec valeat contingere metam.
Vertitur in rabiem furiis ardentibus acta
Sæpe libido furens, sibi dum dolet esse negatum
Quod cupit, aut alios parili sibi munere fendi
Quadram poscentes obliquo lumine cernit.
Vnde pudicitiam precio quæ vendere nolit,
Aut cupidi propere insanis occurrere votis,
Huic olido cœno sputantur sæpe fenestræ,
Aut lapidum dira franguntur grandine postes,
Quique audax abiit, bolum sectatus eundem,
Vel faciem retulit famoso stigmate turpem;

Vel caput & scapulas præduro fuste dolatas;
Vel fera non bellam subiit per vulnera mortem.
Sic gladio miscetur amor, dum lividus ultro
Vult sine rivali, quod diligit, ipse potiri.

His auditis, & urbe tota perlustrata, ædes in edito urbis colle conduximus; unde ab una parte prospectus erat in agrum lepidissimus; in mare ab altera. Tum ex ea pecunia, quam nobiscum attuleramus, fundum, qui nos aleret, coëmimus.

LIBER IX.



Summa igitur animi tranquillitate, cunctis ad voluntatem euntibus, fruebamur; sed summam in primis voluptatem capiebamus ex ædibus nostris, & ex horto, illis adjuncto, ubi ver fere perpetuum vigeat: etenim flores ibi lectissimi, omni tempore anni, herbæ semper virentes, arbores sua semper viriditate vestitæ, lauri, cupressi, myrti, hederæ; quarum arborum frondibus tectæ aves, quibus nemo, neque balistis, neque retibus, neque viscatis viminibus, molestiam exhibet, aures cantu demulcent: ædes vero ita bono, ita apto in loco consurgunt, ut æstate totum diem sub dio incoli possint, hyeme autem ita à mane usque ad vesperam à sole possidentur, ut umbram, nisi si in puteo quæras, invenire non valeas. Tum doctis & illustribus viris, quorum in ea insula non parvus est numerus, arcta atque jucunda consuetudine implicati, ocium fere nostrum terebamus in litteris. In iis Nicorusticus, amœno elegantique ingenio, varia atque multiplici rerum maximarum eruditione imbutus, sed incommoda fere semper valetudine, suis doctissimis sermonibus, ac præsertim elegantissimis versibus, aures nostras implebat. Hic longe majore apud omnes esset existimatione atque amore, nisi unum illi vitium omnem ingenii commendationem everteret. etenim, vana quadam sui ipsius opinione inflatus, omnes præ se contemnit; neminem, extra se unum, quidquam sapere, nemi-

nem quidquam esse arbitratur. quid quærimus amplius? Scriptores veteres omniumq; virtutum laude præstantes, quibus omnium seculorum consensus & auctoritas principem in poëtis locū assignat, ad sui judicium acuminis revocare, ac de diuturna regni possessione est conatus dejicere. Plachutius, exacta jam ætate vir, præter summam rerū omnium scientiam, egregio poemate, tragœdia, aliisque præclaris ingenii sui monumentis editis clarus, multitudine librorum, quos, tum soluta oratione tum versibus, tum patrio tum Latino sermone, docte eleganterque conscriptos, est paratus emittere, nostram discendi sitim explebat. Samnis, in quo perfecta oratoris laus prope expressa conspicitur, id quod est in nobis bonum alebat. Etenim ita hic loquitur, ut dici melius non desideres; ita, præter has politissimas artes, quarum studio tenemur, quæcunque à philosophis, de rerum causis, de cælo, de natura deorum traduntur, memoria intelligentiaque complectitur, ut non didicisse, sed suo ea marte peperisse videatur. Lidomarus, cui primæ in Græcis litteris deferri dicuntur, sua nobis epigrammata recitabat, in quibus faciendis, adeo felix existimatur, ut, eruditorum judicio, proxime ad veterum Atticorum elegantiam, suavitatem, & acumen, dicatur accedere. Cælolithus, ingenio peracri, & studio flagranti, & doctrina singulari, doctiores nos in dies reddebat. ita enim est Græcorum disciplinis instructus, ut nihil eum fugere existimetur, quod eorum litteris traditum contineatur. Multa quoque erant in manibus Pterotii, ad veterum sapientiam elegantiamque conscripta, quæ magnam illi inter eruditos famam efficiunt; atque, ut est ingenio eximio, & nunquam cessante, alia deinceps multa editurus dicitur, unde magis liceat de ejus excellenti facultate atque doctrina existimare. Hic vir longe doctissimus, ille est, qui, ut antea commemoravimus, in cujusdam inepti reprehensionem incurrerat, quod ad litteratorum hujus ævi numerum, Ianum quendam scriptorem comœdiarū aggregasset. Atq; de hoc Iano, cum diligentius inquireremus, invenimus, eum quidem humili loco natum, sed ingenio alto atque præstanti, ab ineunte ætate, à parente, qui nihil altum, nihil se ipso majus, animo con-

conciperet, illi fuisse arti addictum, quam ipse nosset, & in qua sese exerceret; at illum, hac in re patris imperio minus obsequentem, quamquam parens ad imperium minas adderet, traditam sibi artem respuisse libero ingenuoque fastidio, atque ad præstantiora studia animum adjecisse, eo ardore, ea vi, ut solus, sine magistro, sine duce, naturæ tantum bono ductus, non postremum picturæ, poëseos, ac musicæ gradum attigerit. ac correctori illi, si quod ex ore petulantius dictum excidit, ignoscendum fuit: erat enim iratus judici, qui nescio quid decreverat contra rem ipsius, injuria. Verum, quod ad virum illum doctissimum attinet, mira hominis virtus, incredibilis humanitas, magnitudoque animi, lapides etiam ipsos potest, ut se ament, adigere; nos vero, tanquam sibi adjudicatos, arctissimo amoris vinculo habet adstrictos. adeo enim nullum in eo ambitionis, malignitatis, invidiæque vitium residet, ut etiam eruditorum laudibus, quibus alii, qui ejusdē sunt professionis, plerunque invident, detrahunt, tenebras offundunt, ipse, novo atque inaudito humanitatis exemplo, faveat, opes & amicitias paret, suoque præconio lumen atque splendorem adjiciat; cedo tres mihi homines, auro, cum istis moribus; dignus profecto, qui, omnium eruditorum litteris, posteritatis memoriæ tradatur; si quidquam tamen inveniri potest, ad ejus memoriam nominis propagandam, ingenii ipsius monumentis feracius. Dynasta vero, nomine Ophio, abundanti doctrina ac scientiæ copia refertus, cui ille honorariam operam navat, ejus etiam studiis, bonis ac doctis viris favendi, obsequitur. iis enim domi suæ hospitium, iis amorem suum ac studium, iis diurnum cibum, pro facultatibus exhibet. Erat sæpe nobiscum Icosippus, cujus videndi diu fueramus cupidissimi; quamquam satis ex suis eum scriptis cognitum haberemus. huic tantum, eruditorum omnium consensu, tribuitur, ut omnium fere artium scientiam, omnis antiquitatis memoriam, totam Latini sermonis rationem, omnem ejus artis pene infinitam vim & materiam scientia comprehensam habere existimetur. Multum etiam utebamur Homosio, præstanti ingenio ac nobilitate viro, cui nihil ab ingenio, nihil ab arte, nihil à studio

deest, omnia, quæ in istis artibus, libero homine dignis, continentur, ipse percepit. nam si sit scribenda epistola, tum Græce, tum Latine, tum vernacule, est prudentium eloquentissimus; si agendum de re gravi negocium, est eloquentium prudentissimus; si sit pangendum carmen, ac præsertim epigramma, ex Catulli vel Martialis officina illud prodiisse existimatur. Iam vero nostrum ad se amorem ac studium attraxerat vir singulari ingenio, eleganti doctrina, acerrimo judicio, optimis moribus, summo genere præditus, Aristides; cum eo fere quotidie eramus; ille nos rheda tollere, in suburbanum suum, urbi proximum, ducere; ibi, vel eruditis sermonibus, vel poetarum oratorumque lectione, ad lene defluentium aquarum murmur, ad avium cantum, ad auræ inter arborũ ramos dulciter obstrepentis sibilum, ad agrorum circumcirca patentiũ despectum, cum eo nos, quidquid erat ocii, conterere. Hic vir egregius in primis, in amplissima familia natus, tum sua sponte, tum parentum diligentia, ad probitatem & ad omnes bonas artes instructus, eo robore atq; ea indole virtutis & continentiæ fuit, ut, spretis voluptatibus, illud unum ad laudẽ cum labore directum iter habuerit. Fratrem habuit dynastam, non unum è multis, sed inter multos prope singularem. nam pluribus antea pro Rep. laboribus ac muneribus egregie functus, eum locum atque ordinem meruerat; tum, incredibili vir ingenio, doctrina, magnitudine animi, judicii acumine, regendis imperio populis datus, admirabili quadam laude, provinciæ præfuit: verum cum ad summam gloriam effloresceret, calculi morbo sublatus, triste sui desiderium reliquit. Vivit adhuc eorum mater, quæ, annos nata quatuor & octuaginta, in exemplum matronarum suspicitur. Hæc tam admirabilis tamque nobilis fœmina, quemadmodum excelso fortique animo, quemadmodũ incredibili constantia, bonorum jacturam, familiæ detrimenta, præterea tum viri tum filiorũ longe præstantissimorum interitum tulerit, dicerem, si explicari oratione cujusquã posset; neq; nunc ulla senectute impeditur, quo minus familiam regat, quo minus retineat auctoritatem & imperium in suos, quo minus det operam sedulo, ut vigeat in illa domo mos patrius & disciplina.

Dum

Dum igitur inter has necessitudines læti ævum agitamus, ecce tibi ex improviso Gallonius nostris sese oculis objicit. Dii boni! *O qui complexus, & gaudia quanta fuere!* Cœpimus percontari, quid sibi vellet ille ejus tam inopinatus adventus, quid ferret novi, salvane omnia. At ille, Dynasta, inquit, meus, sive vitio animi, sive otii abundantia, quia non habet; in quo illud utilius consumat, omissis ceteris studiis, fere quotidie rus abit, ac sumpto in manus arcu, aviculas, dum incitatiore per aëra volatu feruntur, sagitta confodit, tantumque studio & exercitatione profecit, jam ut nemo certiorem illo, ad feriendum, manum habere existimetur: audivit, maximam in hac urbe bonorum arcuum copiam esse; propterea, ad eosdem comparandos, me cum pecunia misit. Sed dii me servant, dii bene mihi volunt, cum tantam insperato lætitiam objiciunt, ut vos conspicer, teneam, amplectar, quos, nunquam suspicatus sum, in his regionibus me esse visurum: jam bene sit dynastæ meo, bene sit illi ejus vel insaniæ vel studio, quo rapitur; bene sit arcubus, sagittis, avibus, quibus ille pestem, labem, & exitium parat; quæ omnia diris antea precibus execrabar, quod propter ea maturius esset surgendum, hac illac concursandum, arcus ferendi, sagittæ suppeditandæ, collapsæ in foveas, lacus, rubeta, ac spinas aves quærendæ, investigandæ, excipiendæ; bene sit, inquam, his rebus omnibus; nam absque iis si foret, nunquam tanta hac me amœnitate amœnus onerasset hic dies. Nec minus, excipit Æmilius, iis rebus, quæ tanta te cura ac solicitudine onerant, æquum est nos bene precari. non enim ad nos minor, ex tuo adventu, lætitia redundat, nec minus Diespiter amicam nobis operam tradit. Nam quis est omnium mortalium, quem te uno magis conventum expetamus? proinde, dum hanc urbem incoles, apud nos sis volumus; atque interim tibi, ut mos est, cœnam viaticam dabimus. Benigne, inquit Gallonius; nolo vobis molestus esse. Omnis tibi facultas recusandi erepta est, ait Paulus Æmilius, propterea quiesce. non enim potes effugere à nobis hospitium & cœnam. Sed quid illic rerum agitur unde advenis? estne novi aliquid, quod sit operæ pretium nos scire? paxne

ibi atque ocium, an solicitudo vel mœror agitatur? Immo, inquit Gallonius, omnes, animis in lætitiam effusis, gestiunt, triumphant, exultant. allatum est enim, Nicephorum Regem, tot secundis præliis nobilem, tot victoriis inclytum, quem male omnes formidabant, in acie, à manipulari quodam, inter brachium humerumque, sagitta percussum, diem extremum obiisse. itaque supplicationes ad omnia pulvinaria decretæ, deorum immortalium ædes, pictis peristromatis, & stragula veste, auro sericoque contexta, ornatæ; earum postes, hedera, lauro, myrtoque protectæ; pavimenta recentibus cespitibus constrata; crebri noctu ignes accensi. est operæ precium audire, tubarum tympanorumque sonitus, symphoniacorum undique cantus, faustas acclamantium ac diis gratulantium voces, quod exitium illud ac pestem, ab urbe, ab agro, ab aris, à focis avertissent. erat enim metus, ne demum Rex ille, tot victoriis ferox, atque animi impotentia insolens, eo copias adduceret, urbemque nobilissimam, ac diuturna tot annorum pace, refertam opibus atque divitiis, invaderet, fana ac domos spoliaret, cædem & incendia faceret, postremo, armis, cadaveribus, cruore, atque luctu omnia compleret. quin ajunt, palam solitum eum dicere, se, pulsis dynastis, vel ad internecionem datis, Vrbem hanc, in Regni cujusdam formam redacturum, cui ipse cum imperio ac potestate præesset. At ego, Mira, inquam, narras, Galloni; sed cedo, quomodo Rex ille tam ferox, cui nemo jam posse videbatur obsistere, tam infelicem exitum vitæ habuerit. nam cum apud vos essemus, multa de militari ejus virtute, multa de singulari hominis felicitate, accepimus. Dicam, inquit Gallonius; jam Rex ille, tot successibus fretus, tantos spiritus sumserat, tantum audacia processerat, ut non dubitaret, nullis protectus armis, ac pene nudus, pericula præliorum inire, tanquam in dextera sua secundos belli exitus, decus, famam, gloriam, denique fortunam, haberet. sed deorum consilio factum existimo, ut in illam tam stultam sui fiduciam delaberetur; nam ubi decretum est superis, scelerum pœnas ab hominum sævitia, iniquitate, atque importunitate repetere, nihil illis faciendum videtur prius, quam
ut

ut iis, quibus sunt irati, mentem & consilium adimant. itaque dum ille, remotis armis, equo circumiens, unumquemque hortatur, sagitta, ut dixi, confossus interiit. atque huc demum, tot hominis spes, cogitationes, contentiones, conatusque reciderunt. Quibus acceptis, Quam durum est, inquam, ô Galloni, more gigantum bellare cum diis! qui superbiam, ambitionem, deorum contemtum, tanquam montes congerit, quibus cælum expugnet, non tam scalarum gradus, quam ruinæ periculum struit. ille prope æqualem se superis infert, qui in terris diis minorem gerit. spreta atque contemta religio feras tandem, sed graves, à suis desertoribus pœnas exigit. nulla re ita fundantur imperia, ut veræ religionis cultu studioque. ubi exulat religio, ibi perfidia, peculatus, avaritia, invidia, perjurium, ambitio, injuria, scelus, sacrilegium viget. sed satis philosophatum est. gaudemus, civitatem illam, tanto metu vacuam, pacem, lætitiam, & amœnitatem exercere. tu jube interea sarcinulas tuas in nostras ædes inferri; nam eæ tibi patent ut tuæ, cum nos contra tuis usi fuerimus ut nostris. Geram, inquit ille, vobis morem, magis id adeo, ut studiis vestris obsequar, quam quod hospitio aut re ulla indigeam. nam herus meus, in iis rebus, ex quorum amore non est sanus, nulli neque operæ neque sumptui parcit. Cum igitur ad nos divorteret hospitio Gallonius; lepide atque hilariter à nobis exceptus; die quodam, à prandio, ingens ad aures nostras clamor accedit. Cupidi cognoscendi, quid esset, ad ostium accurrimus, atque, lictores inter, oneratum catenis hominem, honesta facie, ac vestitu sane opulento, conspicimus. rogamus ex popularibus unum, quid illic hominis sit, quove abripiatur, num forsan in carcerem, cujusnam criminis reus efficiatur, num capitalis, num manifesto deprehensus ad tribunal judicum rapiatur. Minime, respondet ille; sed ad portum adducitur, ut in navim impositus, eo deportetur, ubi se furti alligavit; at ejus furti, quo mea sententia, nullum audivi neque lepidum neque ridiculum magis; ita nimis hic quidem est graphicus sycophanta. & quo magis ejus in furando artem leporemque admiremini, iis manus est adita, quibus non est in toto orbe terrarum neque cau-
tius

tius neque ad rem attentius quiſquam. Hic vir, in ſpeciem, ut videtis, honeſtus, conſueverat, ad ſignum Palladis, quod in æde iſtorum, ſumma atque antiquiſſima præditum religione, non ſolum à popularibus, ſed à vicinarum etiam urbium incolis colitur, totos dies, genibus minor, orare. quamobrem bonis illis viris cœpit eſſe in admiratione atque honore; quin tantum apud Palladem auctoritate & gratia eum poſſe arbitrabantur, ut nulla res eſſet tam ardua, tam difficilis, tam ſupra naturæ vires, quæ ab ea impetrari, ipſo deprecante, non poſſet. ſed ubi ſatis viſum eſt illi, aream concinnaſſe, in qua palumbes, ſeu potius vulpes illas, exciperet, cœpit in ea cibum offundere; ac torquem è ſinu aureum extrahit, qui erat quinque pondo: accurrunt omnes ad bolum; ſumunt, inſpiciunt, laudant. ille, jam ſibi propoſitum eſſe, ait, tam divitem Palladi torquem dicare, ſed ſibi in præſentia opus eſſe auri pondo, quo æs alienum diſſolveret, atque exiſtimationem ſuam tueretur; proinde ſi auderent mutuitanti credere, ſe, poſt biduum, aurum omne renumeraturum; interea, quo ipſis cautum eſſet, torquem illum pignori opponere, qui quinquies tanto pluris eſſet, quam aurum quod peteret; tenerent, inſpicerent; num vel in pondere, vel in auri ſubſtantia, quidquam titubatum ſit, quærant. illi ſumunt, jubent eum eſſe bono animo, ac poſtridie reverti. nec tamen ſibi ipſi deſunt, ſed peritos advocant, torquem oſtendunt, una cum iis ad pondus & ad coticulam exigunt; atque inveniunt, aurum eſſe, lectum, purum, & ad pondus reſpondere. itaque, de communi omnium ſententia, ſtatuunt, quandoquidem ſatis ipſis cautum eſſet, auri illi libram mutuam dare. poſtridie revertitur, ac ſine ulla mora aurum, quod popoſcerat, mutuum accipit; gratias agit, ac, Propediem, inquit, qua via diſceſſit, ad vos aurum revertetur. Sed quia jam deæ ſacrum eſſe torquem placuit, date mihi quæſo hanc veniam, ut manibus illum meis Palladis collo circundem. Illi, Ita, inquiunt, de nobis meritus es, ut nihil tibi poſtulanti denegandum eſſe videatur. atque eadem opera jubent ſcalas afferri, ſignoque admoveri. nam illud altius erat poſitum, quam ut manibus cujuſquam poſſet attingi. il-

le

le aſcendit; dat auro oſculum, eoque deinde deæ collum geminatis nexibus implicat; deſcendit, ac genibus nixus, alias preces ſupplex effundit; poſtremo, omnibus illis, honoris gratia, ſtipatus, cum gratiarum actione, migrat è fano foras. Dies unus abit, alter, tertius, plures; nec religioſus ille oratum, ut antea, venit, neque uſpiam apparet. itaque, qui mutuum dederant, mirari; ſed nihili pendere, immo deos rogare, ut eo abire illum vellent, unde nunquam rediret; quod ſi ita eſſet, nuſquam potuiſſe rectius aurum mutuo locari. ſed aliquot poſt dies, cum ſpes eſſet, nunquam eum rediturum, detrahunt è collo Palladis torquem, ut ejus auri fulgore oculos paſcerent, tum, ut aurifici, quem adduxerant, venderent. at cum eum aurifex diligentius aſpiceret, ejuſque ſua manu pondus exigeret, Non eſt, inquit, hic torques ille, quem olim mihi æſtimandum obtuliſtis, ſed longe diverſus ab illo ille enim erat ex auro puro, hic eſt ex aurichalco conflatus. illi mirari, atque, inſanire eum, dicere; etenim ſe adfuiſſe, cum torques Palladis collo daretur. Agite, inquit ille, ut vultis, vobis ſublitum eſt os pulchre: nam, cum ſimulabat ſe Palladi dare, falſum torquem pro vero ſuppoſuit. tum vero illi, verba ſibi data eſſe, intelligunt, atque, O furem elegantem, clamant, dignumque qui aureo reſte ſuſpenſus pendeat per pedes. ſed non dimittendum tempus, verum curandum, ut in poteſtatem judicum veniat. nec mora, Prætorem adeunt, rem narrant, lictores ad eum ex fuga retrahendum impetrant; &, qua ſunt in ſuis rebus ſagacitate, odorati ſunt, huc eum caſtra moviſſe. Qua re nihil illis potuit magis ex ſententia contingere. etenim, tota hæc inſula fures, utpote communi ocio inimicos, tanquam mare mortuorum corpora, evomit, nec apud ſe verſari permittit. quamobrem, omnibus cuſtodiis ſubjectus, illis eſt traditus: in hos ſcripti fuere ab homine arguto verſiculi iſti, quibus eorum irridetur acumen, qui, cum plus cæteris videre ſe jactent, inventi fuerint minus oculati, quam unius manus veteratoris.

Olim fama fuit, vos cernere latius Argo,
Sed cæcos talpa nunc patet esse magis;
Præstinctos nitida radiantis luce metalli,
Ipse manu in fraudem dum veterator agit.
Esse ullum vobis quis posthac credat acumen,
Ducta quibus furis plus videt una manus?

Sed satis mirari non possum, quanam illi fiducia, Prætoris fidem implorare, aut eidem os suum ostendere ausi sint; qui Prætor, paucos menses ante, arguta atque ridicula testamenti cujusdam interpretatione, ludos eos maximos fecerat, & in sermones hominum adduxerat; jure an injuria, nihil ad hoc tempus. Teneo, inquit Gallonius, quid dicas; res est ridicula, & continuo ad nos allata, dedit, ut ais, sermonibus locum, atque insuper, quod perpetuo rideremus. Sed (in nos intuens) narra quæso, istorum gratia; quamquam Poëtam, nescio quem, audio scripsisse rem versibus. Boni, inquit, isti viri, locupletum hereditatibus inhiare vulgo creduntur; neque dubito, quin immerito hac fama laborent; sed quotusquisque potest sermones iniquorum effugere? ajunt igitur, eos locupletem ac nobilem quendam hominem adegisse, ut ipsos omnium suorum bonorum heredes institueret. erat huic fratris filius, adolescens honestus ac probus; huic rogati sunt eam hereditatis partem restituere, quæ maxime ipsis placeret; & quia eum patruus in filii loco diligebat, ipsorum custodiæ fideique mandavit. testator moritur; isti, ut fama est, totam sibi hereditatem usurpant, inopi ac misero illi vix tenuem quandam particulam tradunt. qua injuria commotus, vocat eos in jus ad Prætorem; illi accurrunt; queritur adolescens, ex tanta patrui ipsius hereditate, cujus, si ea in istis fides esset quæ esse deberet, bonam ad se partem venire oportebat, nihil fere, nisi plorare, relictum; orat, obsecrat, ut tantum sibi restitui jubeat, quantum ad inopiam, qua urgebatur, sublevandam esset satis. respondent isti, rogatos se esse, ex testamento, eam illi partem bonorum restituere, quæ ipsis placeret; placere autem eam, quam elargiti

giti essent; ac falli adolescentem, si crederet, se nummo ab eis amplius litium terrore erasurum. jubet Prætor tabulas testamenti proferri; tradunt illi; aspicit, legit, atque invenit, rogatos esse heredes, eam adolescenti partem restituere, quæ ipsis placuisset: tum paululum astitit, severa fronte, quasi consilia in animum convocans, quo consuleret, quid potissimum agi oporteret; & cum paulum in ea cogitatione defixus hæsisset, Arbitror, inquit, me invenisse, quid adolescenti, ex testatoris voluntate, debeatur: nempe scriptum video, eam adolescenti hereditatis partem tribuendam esse, quæ vobis maxime placeat; utra igitur earum partium vobis magis placet, eane in quam adolescentem vocastis, an ea, quam vobis attribuistis? Ea, inquiunt, quam ad quotidianum sociorum victum, atque ad deorum immortaliũ cultum elegimus. At hæc ea est, subdidit Prætor, quæ, patrui testamento, fratris filio debetur; vobis autem eam sumite, quam adolescenti reliquistis, quæque minus placebat. fit clamor omnium & risus; illi plura loqui prohibiti, tanquam artificio suo capti, tristes ab jure discedunt. His dictis, ille abiit. Gallonius in quandam armorum officinam, ibi proximam, ad procuranda dynastæ sui negocia se confert; sub vesperam, arcubus & sagittis onustus, domum regreditur: neque ita multo post, cœnam poscimus, accumbimus, cœnamus; cœnati, plura ille de nobis, ac nos de illo percontati, sermonem in multam noctem produximus, ac Prætoris in primis astum admirati sumus, quo adolescenti subvenit, & cupiditatibus hominum obviam ivit. At ego, Si vera, inquam, esset avaritiæ istorum fama, id quod in præsentia non quæro; sed si, inquam, hæc fama valeret, & cum habitent hic apud nos, leve aliquid avidi atque appetentis animi signum ostenderent, profecto, publico consilio, extra urbem ejecti, cogerentur mutare coloniam. sunt hic homines quietissimi atque ab omni prorsus cupiditate alieni, nec ferre possunt eos, quos transversos lucri cupiditas agit. At isti, inquit Gallonius, in commune consulunt; quid facerent iis, qui non privata cujuspiam bona, atque profana, sed publica, sed deorum immortalium religioni consecrata, impio ac

nefario ſcelere domum ſuam avertunt, dum procuratoris, vel adminiſtratoris nomine, debacchantur ac regnant? at nemo iſtorum, apud eos unde venio, in judicium vocatus, pœnas tanto ſceleri debitas ſolvit. etenim, non furti contra eos agitur, ſed leviore actione confligitur. ut, quod indigniſſimum eſt in his cauſis, non de improbitate, avaritia, rapacitate iſtorum hominum, ſed de jure civili judicium fieri videatur. itaque, cum oporteret eos ad carnificem dari, ac virgis cæſos in crucem agi, videas erectos ante judicem ſtare, defendi ac foveri ab iis, qui poſtulant, idem ſibi licere, ſi ad ejuſmodi procurationes adminiſtrationeſque perveniant. audite unius iſtorum furtum lepidiſſimum, ac riſum continete, ſi poteſtis. Multa dicuntur eſſe, in circumjectis huic mari inſulis, Palladis fana, in quibus ea ſanctiſſime religioſiſſimeque colitur; ſed mira quædam in inſula Daphnia privatim ac publice eſt Daphniæ Palladis religio; neqne ſolum incolæ, verum etiam ceterarum inſularum gentes & nationes eam maxime colunt, in ſuis rebus dubiis ac difficilibus invocant, adeunt, rogant. tanta enim eſt auctoritas ac vetuſtas ejus religionis, ut, quemadmodum de Cerere Ennenſi inquit Tullius, cum illuc homines eunt, non ad ædem Palladis, ſed ad ipſam Palladem proficiſci videantur. Eſt ibi, unde huc ſum profectus, inſigne xenodochium, nationis cujuſdam barbaræ, quod pulchrum atq; magnificum Palladis Pſychiæ templum habet adjunctum: id locuples in primis templum, per certos ejuſdem nationis viros, ad id præſertim electos, adminiſtratur. hi, ut leges eorum ſunt, ſuffragiis unum ſibi quotannis œconomum legunt; ad hunc ſumma rerum omnium redit, hic annuis templi vectigalibus exigendis & curandis præeſt, hic æditiuis ac ſacerdotibus imperat; hic ad xenodochii templique neceſſarios ſumptus pecuniam enumerat. igitur quidam, qui, anno ſuperiore, œconomus Palladis Pſychiæ, ejus pecunias adminiſtraverat, magiſtratu abiens, cum ad œconomum, qui ipſi ſucceſſerat, rationes, ut moris eſt, redderet, profert tabulas in quibus erat præſcriptum, minas triginta à ſe eſſe perſolutas in rem Palladis Pſychiæ in primis utilem, neque cui, neque quam ad rem datæ eſſent,

essent, adscriptum. Oeconomus instabat, urgebat, ut ostenderet, cuinam, & quam ob causam, tantam pecuniam tulisset expensam. ille recusare, eique se esse probaturum dicere, cui maxime opus esset. Ergo vocatur in jus ad prætorem peregrinum; quo, casu, eo die veneram, à dynasta meo missus, ut suis verbis Prætori reum quendam commendarem. ille adest; repetuntur ab eo minæ illæ triginta. respondet, eas iis, quibus debebantur, expensas. Cuinam? ajunt. Nauarcho, inquit, qui me, uxorem, liberos, ancillas, servos, in insulam Daphniam advexit; tum stabulario, ad quem per mensem integrum divertimus, quique nos opipare lauteque, dum illic fuimus, lepidis obsoniis accepit. Rogant rursus, instant, urgent, ut dicat, quænam tanta nosocomii necessitas, illuc eum navigare, ac tantos sumptus facere compulisset. Qui aliquando coactum, ait, se eam navigationem suscepisse, ut Palladem Daphniam, pro Pallade Psychia oraret, ejusque illam fidei tutelæque commendaret. Hic omnes, qui aderant, cachinnos extulere. Summa Prætoris voluntas erat, furem illum manifestarium in minas triginta condemnandi. Sed quidam ex eadem natione, quo ipsis, ejus exemplo, honestius furari liceret, dicunt pro testimonio, nihil ab eo novi esse commissum; ita ab omnibus fieri solere. Tum Prætor interrogat unum ex iis, qui ceteris acrius pro illo depugnabat, quemnam cuperet causam illam obtinere, xenodochium an Verrium; id erat œconomo illi nomen; qui, Verrium, ait. nam bonus vir est, antea quam veniremus huc, emit mihi in popina jentaculum quinque drachmis, una sextarium floris vini veteris, altera caseum mollicellum, farcimen, panes; reliquis tribus carnem vitulinam assam, & pullos gallinaceos: tum duas liberali forma filias habet, quarum ego alteram amo, & illa me contra; qui est amor, ut inquit ille, cultu optimus; atque, arrhabonem amoris, hunc anulum mihi misit, ac præterea sudaria duo, quorum unum eccum hic habeo, alterum domi custodio. Instauratus est omnium risus; ceteri testes stomachari, atque ebrium illum esse dicere. Eodem tempore veniunt à summis viris ad prætorem commendationes dimissis manibus mul-

tæ. Itaque *Solvuntur risu tabulæ, missusque recedit.* Hic ego excepi, At hunc, ne salus quidem ipsa, apud nos servare potuisset. Atque ut ad cupiditates hominum, unde digressus es, redeam, dicam id, quod superioribus diebus, apud Amphitheatrum, hiscemet oculis vidi. Iacebat prope illud in via pauperculus quidam extinctus: evocatus est statim curiæ illius magister, intra cujus ditionis terminos mortuus ille jacere existimabatur; ut eum efferendum humandumque curaret. Etenim hic, ad curiarum magistros non solum pertinet, dividere argenti nummos in viros, res divinas procurare, curialibus suis opem ferre; verum etiam, mortuos sepulturæ mandare; unde non parum ad eos lucri redundat, ex funerum videlicet pompis, ex divitum ac nobilium virorum sepultura. verum lex, quot & quantæ sint hominum cupiditates, intelligens, præcipit, ut eos, quibus rei nihil est, sepultura gratis afficiant. Magister igitur curiæ vocatus accedit; qui desperans, se ab illo funere posse lucelli quidquam abradere, ostendit, munus illud suum non esse, sed proximæ curiæ magistro totum incumbere. accersitur ille; qui item, ob eandem causam, illud à se onus removet, atque in alterum rejicit. fit pugna inter eos, & contentio: sed demum, re infecta, uterque discedit. verum quidam eorum, qui aderant, sive misericordia, sive rei indignitate commotus, cucullum, ex charta confectum, mortui manibus inserit, cum pagella, quæ demonstrabat, non posse inopem illum humo injecta contegi sine prætereuntium misericordia. Vix hora intercesserat ab hoc ejus invento, cum cucullus ille repertus est nummis æreis argenteisque refertus. Tum videre licuit magistrorum illorum cupiditatem: nam ubi ejus lucelli nuncius eorum pervenit ad aures, continuo dant sese in cursum, atque obvios quosque in cursu, capite, aut cubito, aut pectore offendunt, aut genu; ac pene ruperunt sibi ramices currendo. Itaque, eodem fere momento temporis, ambo perveniunt, incipiuntque jurgiis, maledictis, clamoribus, inter se contendere, ac sibi quisque defuncti illius cadaver asserere, ac suum esse affirmare. Sed re ad magistratus delata, statim, concursu populi facto, pulsi sunt è civitate, atque in malam rem

jussi,

jussi, quantum potest, abire. Ad extremum, multis verbis ultro citroque habitis, cum jam somnus obreperet, nos lectulis commendavimus. Postridie mane, cum etiam tum nos lectus haberet, accipimus, esse ad januam ignotum quendam, qui nos magnopere evocaret. quærimus, qua ætate, qua facie, quo habitu esset. respondetur, esse hominem senem, audacem, ore neque ita elegante neque venusto, sed quod sæpe iratum canem imitaretur; præterea tunica togaque ad talos usque demissa. Itaque seminudi ad ostium accurrimus, honorofice hominem excipimus; quærimus, quis sit, quid poscat, quid jubeat. Ille vicissim humaniter mutuam salutem reddit. atq;, Vt sciatis, nos sumus omnium longe doctissimi, dignique cujus amicitiam ultro expetitum adveniatis; sed fama humanitatis vestræ capti, & quod alias vos vidisse meminimus, eam vobis magni beneficii loco deferimus; ea utimini, ut vultis. Nos gratias illi maximas agimus; ac vicissim operã nostram pollicemur. At Paulus Æmilius, Vbinam, inquit, nos vidisti? te enim ante hunc diem neque vidimus neque novimus. at jam subvenit, ubi tibi conspecti forsitan fuimus; in Eudemia, tum, cum in illum cœtum litteratorum hominum, qui ibi cogitur, venimus. At ille, Facis, inquit, adeo injuriam, cum me in eorum numerum refers, qui Minutii Sinistri domum frequentant: egone in illius ædes pedem inferrem? egone in illum conventum venire sustineam, ubi nemo est, qui mihi sit ingenio, eruditione, doctrina, longo intervallo proximus, ubi ex illis novorum voluminum, tanquam novorum operum, architectis, nemo dignus est præ me, qui figat palum in parietem? sed jam malo, me ex meis scriptis, quam ex mea vel cujusquam oratione, noscatis. ea enim propediem sum editurus, quibus lectis, fœnum dicetis alios esse oportere, præ ut eorum divinitas quæ afferet. pudet dicere, sed dicendum est tamen, vincent gloriam omnium superiorum; nihil in eis mediocre, nihil usitatum, nihil commune invenietis, sed omnia summa, omnia nova, omnia ex ingenii mei acumine magnitudineque depromta. dic, ut audeat, ex sciolis illis, ad ea quisquam accedere: profecto infinitate doctrinæ, tanquam fulgore, perstrictus

refugiet, vel desperatione debilitatus, omnem simul di-scendi scribendique voluntatem abjiciet. Quid multum moror? quemadmodum de acipensere dixit Pontius Scipioni, qui multos ad eum piscem erat invitaturus; mea scripta paucorum hominū sunt, quorum fama compulsi viri doctissimi ac domi suæ nobilissimi ab ultimis orbis terræ partibus ad me recta venerunt, ut mecum amicitias jungerent, ut mea perlegerent. qui, duobus vel tribus lineis lectis, continuo exclamarunt, O divinum hominem! ô dignum, cujus causa tam multos, ac prope innumeros, itineris labores, ac pericula susciperemus! Tu quidem, inquit Paulus Æmilius, oratione tua me simul incendis ac deterres, invitas ac rejicis, vocas & expellis. nam eximia ista scriptorum tuorum pulchritudine, quam memoras, sentio me vehementer impelli ad legendum; rursus, ingenii mei tenuitatis conscientia retineri: nam vereor, si in ea inciderim, ne in iis sciolis, de quibus commemorasti, inveniar, ac verbum prorsus nullum intelligam. Scientiam vero regendæ Reip. subjicit ille, quis me rectius est assecutus ac plenius? multæ Respub. multa Regna, stant hodie, meis præceptis institutisque servandis. quam multi Reges & Tetrarchæ, à me admoniti, gubernandæ Reip. formam mutaverunt! nonne eorum ad me oratores fere quotidie noctu conveniunt, ut meam, de rebus ad salutem & incolumitatem Regum suorum pertinentibus, sententiam exquirant? verum, ita interdum sunt molesti, ut meo non liceat dare operam negocio. at non parum sæpe, mei quoque ipsius rationem me habere, contingit: nam cum, scribere aliquid aggressus, si ab eorum aliquo interpellor, jubeo eum in proximum cubiculum secedere, ibique tantisper manere, donec vel orationis vel carminis, quod laborat in fine, sententiam expleam. quid? Regis Nicephori adventus, qui erat aliis formidabilis, si in Eudemiam, ut constituerat, victor irrupisset, mihi uni jucundus acccidisset: nam eram illi in honore & gratia, quod sæpe meas cartas legisset, meæque vim doctrinæ sapientiæque admiratus fuisset: tum magna mihi necessitudo cum eo intercedebat, qui erat Regi à secretis, ejusque consiliis intimus. nec mirum est,
tam

tam incredibili meum pectus sapientia esse completum: ab optima enim schola optimisque magistris profectus, in orbis terræ quasi theatrum prodii: etenim duobus summis viris, atque dignitate principibus, navavi operam juvenis; quorum alter, cum plurimum sciret, id etiam ab omnibus sciri & prædicari cupiebat; alter vero, cum nihilominus sapientia doctrinaque præstaret, id non tam celebrari quam ignorari malebat. Interpellavi hoc loco, ac, Tibi, inquam, libenter operam damus; sed vides, ut pene nudi sumus, ac *matutina parum cautos jam frigora mordent*. nam quo tibi advenienti celerius obviam iremus, vix tunicæ sumendæ spacium habuimus. mitte nos, amabo, ut calceos pedibus, & humero pallium demus, ut ora manusque lavemus: vel, si nos audias, ire hercle melius est te intro, & nobiscum una diem hunc frangere. Non tantum, inquit ille, est ab re mea ocii. nam, quod pene oblitus fueram, dandæ mihi sunt duæ duobus potentissimis Regibus, de rebus maximis, epistolæ. quamobrem jubeo vos valere. Nos quoque, subjicimus, Te validum atque integrum esse cupimus. sed quodnam tibi nomen esse dicamus? Suffeno, inquit ille, est mihi nomen. Suffene igitur vale, & caput istud tuum magnum ac laudabile iis Regibus ac Rebuspub. serva, quibus maxime est opus te salvo. Omni igitur molestia, ejus abitu, levati, suspicari cœpimus, num hic ille esset philosophus, qui olim Rhetoricam, Physicam, Geometriam, atq; omnes artes, in tabulis descriptas, & tanquam coloribus expressas, se esse nobis daturum pollicitus est. atque; Tam verum est illum esse, inquit Paulus Æmilius, quam me vivere. sed jam ad corpus curandum eamus, censeo. Verum, dum calceos induimus, dum cæsariem pectimus, dum manus lavamus, ecce tibi, venit ad nos quidam familiaris noster, qui magnam se Neptuno gratiam habere ajebat, quod salvum à se & incolumem amisisset: ab ea enim insula se redire, in qua prætor ille, de quo supra commemoravimus, ob severitatem judiciorum clarus ac nobilis, jus dicebat. Etenim eo omnibus velis remisque contenderat, ut pecuniam, cujus jam dies advenerat, à potentiori debitore sibi numerandam exigeret.

nam statuerat, si eo prætore non exegisset, nunquam se eam esse visurum; neque sua spe fuisse deceptum, quod totum, quod debebatur, ne nummo quidem uno minus, retulisset. Nos adeptam illi victoriam gratulamur, atque amice admonemus, ne posthac cuivis temere, potentiori præsertim, pecunias credat. At non minore, inquit, erat opus auxilio. Etenim superbus ille, non modo, debitam mihi pecuniam se redditurum non esse, jactabat, verum me etiam verbeream ex homine statuam effecturum minitabatur. At si pergis, inquit, molestus esse, nunquam cuiquam largius præbita sunt publicitus ligna, ut tibi præberi senties. Ego tamen, ab amicis sublevatus, me admodum animo non demitto, sed Prætorem adeo, rem narro, tabulas profero, quibus jurejurando devincta debitoris mei, sub testibus, fides continebatur; contumacia ejusdem verba ac minas expono. Ille, Bono sis animo, inquit, mox tibi damnatum cogam ingratiis, quod debeat, reddere. Simulque ad viatorem conversus, I, inquit, hominem conveni, eique meis verbis nuncia, ut tecum simul veniat ad me, nec in se quidquam sit moræ: ita mihi rem esse dicito. Qui repente, vocatus, accurrit. norat enim ingenium Prætoris, qui suum imperium deseri abjicique non patiebatur. Quem simul Prætor ut vidit, continuo (credo, ut rem mihi magis expeditam daret,) tantundem pecuniæ afferre eum jubet, quantum mihi debebatur. Ille, quo gratiam à Prætore iniret, existimabat enim, id mutuo à sese posci, domum, avibus ac ventis citius, advolat, pecuniam accipit, defert, delatam Prætori adnumerat. Prætor à me illam auferri, & simul caveri jubet, amplius, eo nomine, neminem, cujus petitio sit, petiturum. Ille, cum jam paratus esset clamare, immo cum vim sibi fieri diceret, atque homini, domi suæ cum primis nobili, peregrinum, tenuem, obscuroque loco natum anteponi, quem semper ipse contemserit, vix hominem duxerit, nec ipsum, ad persequendum, tam audacem ac tam vehementem fore existimaverit, Tace sis, inquit Prætor; ad eamne rem fumosas majorum tuorum imagines habes, ut per eas æquitatem communis juris transeas, ut tenuiorum fortunas tuam esse prædam velis,

ut

nt, bona sua repetentium, libera corpora fustibus, servorum more contundas? at bene tecum agitur, quod te, quantum potest, in remotissimas insulas deportari non jubeo. verum unam hanc noxiam mitto: at si aliud unquam admiseris tale, de te mihi, securi, supplicium dabitur. Postremo, aliis verborum contumeliis male acceptum à se dimisit. Et sane, violentus ille, qua est contumacia, quod verbis interminatus fuerat, re perfecisset, nisi Neptuno me credidissem; atque ejus beneficio celeriter essem in has oras advectus. Sed interim cum apud Prætorem expecto, dum meus creditor veniat, ac pecuniam afferat, unam atque alteram controversiam, maxime perplexam & implicatam, suo illo admirabili artificio diremit. Aratorum apud eos homines numerus ordo est longe honestissimus, & quoniam Reip. magno esse usui existimantur, plurimis honoribus ac præmiis afficitur, quorum illud est præcipuum, quod iis unus, summo cum imperio ac potestate, præficitur, apud quem, quod sibi quisque ab aratore deberi contendit, repetat lege atque judicio, sive causæ sint criminum, sive in jure civili versentur; neque huic, ut ceteris judicibus, sorte datis, certa lex præcipitur, quam in judicando sequatur: verbi causa, Si patet, Lucium verberasse, vel occidisse Titium, condemna eum. Sed nulli formulæ adstrictus est, quomodo apud vos senatus, quomodo Princeps, quomodo olim populus, in cujus locum Princeps successit. itaque deprecationi est apud eum locus, quod genus causæ à judiciis repelli debere plerisque videtur, ubi crimen, non confessione, sed inficiatione repellitur: at potest apud eum sic agi, ut loquitur filius ad parentem, Ignosce judex, erravi, lapsus sum, temere feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti veniam peto, ut ignoscas oro; non peccabo posthac unquam. quo fit, ut quemadmodum, pro peccato magno filii, paululum supplicii satis est patri, ita etiam capitali aratoris delicto, levis quælibet pœna judici illi satis magna videatur. Vnus igitur ex hoc aratorum numero, nulla fere de causa, sutorem gladio transverberatum, ad plures transmiserat. ne multa. ejus nomen, suum ad judicem, defertur: ibi ille accusatur, testes in eum dantur;

 neç

nec cum haberet quid reſponderet, res enim erat manifeſta, nec erat locus inficiationi, feciſſe eum videri pronunciatur. Quid pœnæ conſtitutum in eum fuiſſe exiſtimatis? Non aliud, niſi ut ne per annum araret. Erat ei, quem occiderat, frater, itidem ſutor; hujus ille ſutrinam quotidie obambulare, præter ejus oculos ingredi, ludos eum facere, ac verborum aculeis fodere. In tot ille injuriis cum aliquandiu ſe forticulum præbuiſſet, demum victus, à Prætore quæſitum auxilium venit. cui ille, Quid tibi vis faciam? nihil mihi juris in eo eſt, ejus ad judicem ambula, eoque tuas querimonias defer: ille enim ſolus hominis inſolentiam poteſt pœna judicioque conſtringere. Multum ſane, inquit ille, profecero; quin ultro irriſus abiero. At tu, ſubdidit Prætor, nimis nihili homo es, cui nihil venit in mentem, quo te hac moleſtia in perpetuum liberes. Ille hac prætoris voce erectus confirmatuſque, Iam, inquit, teneo quid agam; jam faciam, ne impurus ille arator, impune, indignis me modis irriſerit. nam ſi hodie, ut ſolet, ludificaverit, nunquam ad ſolis occaſum vitam produxerit. Verum, dum conſilia ejuſmodi ſibi in animum advocat, atque huic, de homine interficiendo, palmam dat, ecce qui Orco deſtinatus fuerat adeſt, ac, more ſuo, cubito ſutorem impellit, dictis exagitat, lædit, irridet. Ille jam nihil verbis eſſe locum exiſtimans, ſecum, Quid ceſſo, inquit, quod cogitaveram, aggredi, ſtrenueque perficere? Eademque opera, pugionem educens, ejus lateri totum capulotenus infigit. Fit continuo concurſus hominum, & clamor: comprehenditur, vinctus ad prætoris tribunal adducitur. Prætor, quid negocii ſit, quærit. Accuſatores, Facinus indignum, clamant, hic ſceleroſus, impurus, tantum animi habuit ad audaciam, ut aratorem unum è medio ſuſtulerit, hominem ita utilem Reip. atque manifeſto in facinore deprehenſus, tuum in conſpectum adducitur, ut, cauſa cognita, ſupplicium de eo quam acerbiſſimum ſumas. Quærit Prætor ex eo, num tanto ſe facinore obligaſſet. Qui audacter confidenterque adſtans, Non ita, inquit, apud te, Prætor, verba faciam, ut ſolitum eſt à reo ad judicem agi, Non feci, non cogitavi, falſi teſtes, fictum crimen: immo, Lap-

ſus

ſus ſum, feci, hominem occidi, atque ejus morte maximas & innumerabiles injurias ultus ſum, quibus ab eo fueram laceſſitus: etenim, non ſatis habuit, fratrem mihi unicum atque cariſſimum, ferro necare, ſed totos etiam dies, ante ſutrinam meam obambulans, non ceſſabat, modo ſibi digna, mihique indigna, in me dicta congerere, modo genu vel cubito ictum me pene ad terram affigere, modo ſcurrilibus jocis ludos omnibus facere: quibus contumeliis impulſus, atque adeo ad eas ulciſcendas attractus, & ſimul, ut oſtenderem, me non fœminam eſſe ſed marem, quando ille dedita opera malam rem quæreret, induxi animum, eo illum infortunio mactare, quo fratrem meum affecerat. Tum Prætor, ſe eſſe iratum, ſimulans, Itane, inquit, peſſime, legirupe, parricida, ſacrilege, auſus es unum ex aratoribus vita devolvere? jam te ulciſcar probe, jam tibi condigne, pro tuis meritis, gratiam referam. Atque ab accuſatoribus petiit, quænam exempla edita fuiſſent in eum aratorem, qui fratrem illius occidiſſet. Nulla ſane, inquiunt, alia, niſi quod juſſus eſt, per annum aratione deſiſtere; quæ pœna apud nos maxima exiſtimatur. Optime, ait Prætor. Tum ad reum converſus, quæſivit ex eo, quonam ſe artificio tueretur. Qui, ſutorem ſe eſſe, reſpondit. Sutor es? inquit Prætor; jam jam periiſti: eja igitur, quandoquidem arator, qui fratrem occidit tuum, magnæ, ſingularis, ingentis pœnæ loco, prohibitus eſt, per annum arare; tibi quoque prohibeo, ne, annum integrum, ad ſutrinam accedas, neque calceos cuiquam, quam velit ſit nobilis potenſque, concinnes. His actis, quæſivit ab accuſatoribus, num ſatis exempli in illum improbum ſtatutum eſſet, num ipſis, hoc illius ſupplicio, factum eſſet ſatis; jam vero, quiſnam erit poſthac tam ſceleratus, tam audax, qui tanta pœna conſtituta, ſuſtineat aratori manus afferre? Itaque ſutor incolumis, magna omnium cum voluptate, dimittitur, atque ex reis eximitur: aratores, non ſolum ſibilis, ſed etiam convicio exploduntur. Vix illi è jure exceſſerant, cum mulier ingreditur vidua, lacera veſte, ſciſſis genis, ſolutis crinibus, querens, clamans, Prætoris fidem implorans. Cui Prætor, Quid negotii eſt? ait; quid

affers?

affers? Vim, inquit illa, metum, contumeliam, curam, jurgium, atque inopiam. Vnde, ait Prætor, tantus hic tibi thesaurus mali advenit? Ab homine, inquit illa, fortunato ac nobili, qui cum, me rei totius ignara, filiæ meæ virgini vitium obtulisset, atque à me esset in ipso pene flagitio deprehensus, ne clamores tollerem, ne cognatorum, atque adeo popularium fidem implorarem, lacrimans, orans, obsecrans, induxit me, ut sibi ignoscerem; quod persuasisset amor, saturitas, adolescentia; fidem dans, ubi eam vellem nuptum dare, ducentas se mihi minas numeraturum; atque aliquot post dies, cum ego instarem atque urgerem, sua manu syngrapham scripsit. ignotum est, tacitum est, creditum est: denique decrevi egomet quoque facere, ne, si populus rescisceret, ad damnum etiam admigrarent infamiæ: sed dii, familiæ nostræ omnino non irati, honestam filiæ meæ condicionem obtulerunt, adolescentem videlicet, modicis quidem opibus, sed probum ac strenuum. is venit ultro ad me, rogans, gnatam meam sibi uxorem ut darem. placuit condicio, spopondi, ac doti viginti illas minas dixi, quas iste ex syngrapha sua debebat. venio ad eum, quid sit actum enarro, ut pecuniæ promissæ faciat copiam rogo, quo sponsa quamprimum in viri manum conveniat. ille iratus, negare, quidquam à se mihi deberi, præter malum magnum atque maturum; tum innumeras innocenti mihi dicere contumelias, deinde minitari, ni quantocius suo è conspectu properarem abire, se jam sementem mihi in ore facturum, pugnosque consiturum; postremo addere, si pergerem molesta esse, se fœdo mihi stigmate faciem deturpaturum. ego ejus verba ac minas nihili pendere, freta æquitate tua, ac syngrapha, qua satis mihi filiæque meæ cautum esse existimabam; ac nihil mihi prius faciendum duxi, quam ut cognitorem aliquem pararem, qui inficiatori illi, meo nomine, litem intenderet: atque eum invenio, quicum olim magnus viro meo usus consuetudoque intercesserat; syngrapham ostendo. qua ille perlecta, Nisi, inquit, aliunde argentum depromas, quod filiæ tuæ des, prorsus ex hac syngrapha ne nummum quidem unum potes abradere: tota enim est nugatoriè scripta: nam ad
id,

id, quod promittit, teſtes, ſuos coleos adhibet. quo audito, tum ego lacrimis ac voci non parcere, queri, ac lamentari fortunas meas, cælum atque aſtra crudelia dicere, ac cogitare, quo potiſſimum mortis genere mihi lethum conſciſcerem. cognitor, ut me deſperatione exanimatam videt, miſericordia commotus, conatur jacentem meum animum erigere, & in ſpem cogitationemque meliorem inducere; & ſimul eſt auctor, ut homini dicam impingam: ſæpe enim fieri, ut res dubias, egenas atque inopes conſilii, deus aliquis, vel caſus, certas atque opiparas reddat. pareo; atque dies eſt hodie, quo die ſortiri dicam, ex lege, debeas. Prætor ſane commotus, Nihil ſortitione opus eſt, inquit; ipſe mihi cauſæ iſtius cognitionem attribuo. Ac circumſpiciens, videt nugatorem illum in turba; vocat, ac prehendit hominem ſolum, interrogat, num quid cuiquam promiſerit. Negat. Tum Prætor jubet ſyngrapham inſpicere, ac, Cognoſcis, inquit, manum tuam? Ille non eſt auſus inficiari; atque ait, Agnoſco. Quo igitur ore*, ſubdit Prætor, negabas, te quidquam cuipiam eſſe pollicitum? Atque, ut ejus tentaret ſententiam, Quid tibi animi eſt? inquit, viſne promiſſa perſolvere, an non? Mihi quidem, ille, certum eſt, ait, nihil dare; inſanit profecto mulier, ſi credit, ex hac ſyngrapha ſe poſſe uno ſaltem nummo locupletiorem evadere. Tu igitur, me vivo, Prætor ait, quod eſt à te promiſſum, non reddas? Minime, ait; non enim æquum eſt, quod per jocum eſt actum, velle in ſerium convertere. Itane, peſſime? in re ſeria jocatus es? tibi non creditur: hoc de teſtibus exquiratur oportet. atque, Heuſdum lictor, inquit, ſublimem hunc, quantum poteſt, in carcerem rape; ibi quæſtio de teſtibus habeatur, hoc nimirum modo, ut colei, fune perquam arcte devincti, in ſublime trahantur; certum eſt enim, experiri, num poſſim ex eis verum exſculpere, utrum videlicet res acta ſit joco vel ſerio. at ſcin? tantiſper penſiles maneant, quoad, quantum puellæ, quam vitiavit, deberi judicatum fuerit, tantum exſolvat: magis enim è re ſua eſſet, ſi rem hanc ſine teſtibus egiſſet: nam teſtibus, corporis pondere, avulſis, ac futuris pro uva penſilibus, inteſtabilis in perpetuum vivet. Vbi ille miſer,

quæ

quæ futura in ipsum essent exempla, percepit, multis cum lacrimis, ac miserabili oratione, orare, obsecrare, obtestari Prætorem cœpit, ut mitius cum ipso ageret, nec tantam in se vim mali pateretur irruere, sed aliam illi multam irrogaret, ac pecuniæ, quantum vellet, imperaret; se enim esse paratum, in præsentia, quidquid jussum esset, exolvere. Ipsa etiam vidua, prout animi mulierum proni sunt ad misericordiam, orabat, ne tantopere sæviret, sibi satis pœnarum esse, si solvat, in eo quod promiserat, fidem. Prætor simulans, se iracundiæ suæ conatum, mulieris deprecatione, sedasse, Magnam, inquit, viduæ isti gratiam habeas; nam absque ea si fores, paratam tibi pestem non effugisses, sed jam, coleis alligatus, per corpus penderes. ac, ne existimes, te tantum hoc flagitium impune ablaturum, utrum vis elige; aut hujus filiam tecum matrimonio junge, vel talentum eidem magnum, dotis nomine, numera. Adolescens, cum rem sibi melius cecidisse, quam ratus erat, existimaret, atque ab uxore ducenda abhorreret, talento cum Prætore decidit; quod, à trapezitis fœnori sumptum (non enim tum illi pecunia numerata, sed tantum in nominibus erat,) mulieri sine ulla dubitatione persolvit. Atque eodem pene tempore, pecuniæ, ab adversario meo mihi debitæ, adferuntur. quibus acceptis, & ingentibus Prætori gratiis actis, conjeci me protinus in pedes, conscensoque navigio, omnibus diis, ventis, & hominibus operam dantibus, huc sum devectus. Prætorem, inquit Paulus Æmilius, elegantem narras. profecto si sic essent prætores omnes, non tot locis, ut nunc est, fides esset angustior, & creditæ pecuniæ, si non amore virtutis, saltem pœnæ metu solverentur. His dictis, simul una omnes imus in forum, sed alius alia de re, nos animi tantum causa, ut amicos conveniremus, ac de iis, quidnam esset novi, sciscitaremur. Ac primo juvenem aspicimus, quem multi ambiunt, circumstant, advenisse gaudent; nos quoque accedimus, ac de fortunato homine ac nobili, Megalobulo nomine, aratorum locupletissimo, sermonem haberi comperimus, cui ille navaverat operam diligenter. quærebant enim, ut valeret, quid rerum ageret, cur ipse ab eo discedere constituisset,

apud

apud quem tanto esset in honore & gratia. Vt omnes, inquit, illum dii deæque perdant, jactatorem, nebulonem, ingratum: non, hercle, verbis dici potest tantum, quantum revera meam illi operam, diligentiam, industriam, studium, suis in rebus omnibus præstiti. ut malus mihi verba dedit! ut me vana spe ductum illusit! etenim, non semel sed millies, cum mihi gratias ageret, cum me, ne quiescerem, neve defatigarer, oraret, locutus est ita: Eja age, impiger, strenuè, jam prope est, ut egregio ac singulari aliquo munere, amori fideique tuæ gratiam referam; jam ostendam, qui vir sim; jam tibi perspectum erit, quantum meritis tuis tribuam. Verum, die quodam, cum preciosum illi munus attulissem, quod sperarem, saltem fertiles eum agros imitaturum, qui multo plus reddunt, quam acceperunt; ille, quasi se meorum in se beneficiorum mole premi opprimique sentiret, quasi desiderium referendæ mihi gratiæ diutius ferre non posset, ad armarium accurrit, atque inde veterem, cariosum, ac putridum mustaceum extrahens, ingentis cujusdam muneris loco, mihi detulit, ac, Vide, inquit, si promissi mei sim memor, si facta dictis respondeant: mori malim, quam desiderari à te fidem meam. cape hunc igitur, & quotidie mane, dum surgis, frustulum ejus sume, ac mei memor vive. Nec mora, sese è conspectu proripuit, modestiæ scilicet causa, & quo pudori suo consuleret. non enim potuisset non erubescere, cum me, pro tanto munere, ingentes, immortales sibi gratias agentem audisset. Tum omnes, O liberalem hominem! exclamant; ô magnanimum! ô munus egregium, ac principe viro dignum! fuit illud quidem levidense; ut dicitur, & crasso filo. Interea rumor tota urbe percrebuit, Icosippum, à prandio orationem esse habiturum, commotum, ut ajebant, tetticorum quorundam simulata atque ridicula religione, qui, cum ipsi sint flagitiis omnibus cooperti, offensi erant in eo, quod in quodam opere, quod ediderat, flagitiosi cujusdam hominis factum, sane ridiculum, lepida atque jucunda narratione exposuisset, vel potius ante oculos posuisset. itaque dicebatur jocis facetiisque, magis quam aliqua majore vi, eos male verberaturus. Nos ejus audiendi in primis

mis cupidi, rogamus, ubinam hæc eſſet habenda oratio. reſpondent, In theatro; ſed illuc mature accedatis oportet, ſi eſt in animo ſedere, nec placet loca omnia obſeſſa invenire. nam huic oratori contingit, ut, cum auditum ſit, eum eſſe dicturùm, concurſus, audiendi cauſa, tota urbe fiant, loci in ordinibus occupentur, compleatur theatrum. Nos gratias agimus, &, poſtquam, ocioſe res novas perquirendo, ſermonibus multorum operam dando, voluptatis abunde percepimus, cujus cauſa in forum proceſſeramus, cumque jam meridies videretur accedere, nos domum inde recipimus, & Gallonium invenimus; qui arcubus & ſagittis, quæ domino ſuo coëmerat, aliiſque rebus, convaſatis, profectionem in poſterum diem ornabat. Itaque, quo attemperate, ad Icoſippum audiendum, veniremus, jubemus lectos ſtatui, ſterni, cibis inſtrui, aquam manibus dari. Itaque nos lectis commendamus, accumbimus, prandemus. cum autem à prandio ſatis quieviſſe viſi ſumus, ſurgimus, ac rogamus Gallonium, ut, quod commodo ſuo fiat, ne gravetur, nobiſcum ad theatrum accedere. cumque ille ſe non nolle dixiſſet, eo comitati, multo illuc maturius; quam fuerat neceſſe, venimus. nam vix pauci ſeſſum acceſſerant. itaque jam nos cœperat celeritatis noſtræ pœnitere. quid enim ibi tam diu ocioſi ſederemus? num, ut ſomno, qui jam ſenſim obrepebat, indulgeremus? at id non erat neque ſalutare neque honeſtum. At Gallonius, quo nos ab eodem vindicaret, cœpit variis ac jucundis ſermonibus oblectare, & in primis, ſolemnem illam ludorum celebritatem in cœlum efferre, qua, tota illa civitas, ob regem Nicephorum interfectum, exultabat. atque, Ex omnibus, inquit, ludis, quibus interfui, placuit mihi vehementer lepidum Poëtæ cujuſdam commentum, qui, ut Regem ſacrorum, Humanum, id eſt illi nomen, atque apes, familiæ ejus inſigne, laudaret, induxit in ſcenam Ariſtæum, qui, ut eſt apud Virgilium, devinctum catenis Proteum adducebat, ut cauſam ex eo apum defunctorum exprimeret; atque inde occaſione accepta fecit, ut Proteus, multa de Humano, multa de Mellito, fratris ejuſdem filio, multa de agro Sabello, in quo prædia atque oppida ſane non pauca poſſidet,

multa

multa de futura apum gloria, fausto vaticinio, divinitus caneret. Hanc eandem fabulam idem poëta, qui in actus deduxerat, in breve carmen, heroicis versibus comprehensum, transtulit; cujus exemplum apud me residet, prolatumque, mihi legendum ac describendum tradidit. Sed ejus legendi partes eidemmet Gallonio, qui illud sæpius percucurrerat, in præsentia tradidimus; qui, clara atque suavi voce, sic orsus est legere,

Stringebat validis religatum Protea nodis
Pastor Aristæus, matris præcepta secutus,
Dulcibus, heu, apibus morboque fameque solutis,
Sciret uti, cujus premeretur numinis ira.
Vel quis apes celeri raperet, sua munera, morte.
Namque illum voluit Neptunus singula vatem
Nosse, nihilque catum, quod sit fueritque, latere,
Quidve ferat properans venturi temporis ætas.
At Proteus, nequidquam expertus cætera, tandem,
Multa fremens iræ, tumido sic litigat ore.
Quæ te agitant furiæ? vel quis deus, improbe, nostros
Iussit adire focos, artusque onerare catenis?
Dic; tibi quid nostris debetur sedibus, hospes,
Aut hostis potius, nectis qui vincula capto?
Dic, age; & innocuum laqueis simul exue collum.
Vt tibi nempe loquar, quid vestris me applicet oris?
Inquit Aristæus, vinclis ut membra resolvam?
Deciperis; non præcepit mihi talia mater:
Desine velle; tuus labor est mihi dicere; tu scis,
Tu scis, ô Proteu, scopulos quid jussit ad istos
Tendere me, lapsis quæsitum oracula rebus.
At tum Carpathius, Neptuni munere, vates
Sic ait, irarum fluctus sub pectore condens:
Vera quidem narras, non est me fallere cuiquam;
Tristis apum jactura acri cor incoquit igni,
Quas tibi præripiunt offensi numinis iræ,
Et dolor extinctæ Eurydices: miserabilis Orpheus
Cladibus his lenit miserandæ fata puellæ,
Quæ tua præteriens volucri conamina cursu,
Connubio intactum stabili quo servet amorem,
Occidit, in talum serpentis dente recepto,
Et nova sub Stygios penetravit nympha recessus.

Talia cæruleus dum vates ordine pandit,
Sparsit Aristæus leviter vaga fletibus ora ;
Et vidi & memini, dixit; nec concidit ulli,
Quam mihi, flebilior : sed cur nunc sola vocatur
Infelix in crimen Apis ? cur plectitur insons ?
Mox, ait , expediam, vastum qui piscibus æquor
Metitur , Proteus , dictisque petita resolvam.
Sentit Apis funesta tuæ contagia culpæ ,
Quod tibi sit nimium cordi , quod summa voluptas,
Quodque tuæ culmen supremaque præmia laudis :
Sed lacrimis , sed parce metu, desiste querelis ;
Non erit, ut semper fatis agitetur iniquis :
Ætas præpetibus properat felicior alis,
Qua modo , quæ genus ingemuit, sobolemque ruentem,
Regnet Apis veneranda , ipsis seque inserat astris,
Tergemina fulgens radianti fronte corona.
Hæc rerum domina , inter cuncta superbiet orbis
Oppida cultus ager , dulcis sua cura, Sabellus.
Nam simul ac rutilas auro , radiisque superbas,
Felici regione volans expanderit alas,
Continuo viridi viduatæ gramine valles,
Pingentur vario , bruma fugiente , colore,
Aëriæque suis excussæ frondibus ulmi
Se in nitidas vertent facies, ac mella remittent:
Tum ripis , fulvos inter viridesque lapillos ,
Adnabunt nivei numeroso gutture cycni ,
Luce nova ætheriis fulgebunt sidera campis.
Si Pomona tibi mites ostendat ocellos,
Subdit Aristæus, nec tristes explicet unquam,
Dic, quando tacitis cœlo labentibus annis ,
Æternis tantum continget munus ab astris ?
Quoque magis libeat properantia promere fata,
En tibi quæ strinxi fortissima vincula solvo ;
Exple animum verax mihi nunc, lepidissime Proteu :
Eia age, quid differs cupidæ sua gaudia menti ?
Vincula sed postquam collo pedibusque superbis
Demta videt , placido vates Neptunius ore
Sic ait ; ô juvenum confidentissime, quamquam
Non ita sis meritus de me, ut tibi debita morem
Nunc mea vox gerat , at dicam, quo clausa voluptas,

Pecto-

Pectoris exigui qua frangere limina gestit,
Libera communes abiens se fundat in auras.
Tempore, quo fulgens latis Vrbs regia terris
Excipiet solio HVMANVM, *populisque jubebit*
Iura dare, & placidis Saturnia regna referre,
Ille, inquam, Humanus, quo sospite rideat orbis,
Inter qui triplicem ex auro gemmisque coronam
Vincta geret viridi regalia tempora lauro,
Fiet, ut emensis totis Apis aurea terris
Aëra per liquidum fulgentes explicet alas,
Nec per floriferos saltus, & amœna salicta,
Iam thyma, jam cythisos carpat, casiasque virentes
Impigra, sed subiens animoso pectore cœli
Ardua sidereis redolentia floribus arva,
Inde sinum referat divino nectare plenum.
Quod si progenies fratris Mellitus adire
Oppida dignetur, prisca de voce, Sabella,
Quos regere imperio populos properabit Amoris,
Quovis deflectet geminos, vaga lumina, soles,
Arva licet canis rigeant viduata pruinis;
Protinus egelidos pellent tepefacta vapores,
Ac varios tellus educet verna colores,
Lilia, narcissos, violas, atque alba ligustra,
Magnamini HVMANI *cernes tantum instar in illo.*
Talia facundo Proteus cum funderet ore,
Tristia Aristæus curarum & amara levabat,
Dulcibus alloquiis, neglecta tædia vitæ:
Abstersisque notis animi mœrentis, amœna
Fronte ait: ô Proteu, fugiunt ut pectore curæ!
Grandia festiva redeunt ut gaudia menti!
Perge ergo, atque alacris fatorum arcana reclude.
Si curas animi vis hæc pulcherrima lucis,
Nondum nata tibi, tempestatesque serenat,
Excepit Proteus, quas tunc exorta nitentes,
Cum late effundens radios illuxerit orbi,
Ejiciet mentis tenebras! quæ nubila pellet!
Fronte renidenti quot fulmina mittet amoris!
Musarum jam docta choris comitatus Apollo,
Carmina disponit; jam lætos linquere saltus
Præparat Aonios, fontesque, ac frigida Tempe;

Et celeri properare gradu, quo culta vocabunt
Tum juga, tum valles arvumque Sabellum.
Quas canere in gyrum, lataſque agitare choreas
Incipient; ſparſis poſt candida colla capillis,
Ruſticæ Hamadryades, faciléſque ad furta Napææ;
Aut ubi nigra comas, hirſutaque vertice pinus,
Delphica vel laurus, frondoſaque myrtus opacam
Nexilibus texant ramis ſubeuntibus umbram;
Aut ubi diſtinguant vernantia floribus arva
Tum roſa tum violæ, tum purpurei hyacinthi!
Talia non tulit Arcipotentis gaudia natus,
Sed duplices inquit tendens ad ſidera palmas:
O utinam nentes fatalia penſa ſorores
Ante meæ celeres non rumpant ſtamina vitæ,
Nec prius eveniat me divum in templa vocari,
Quàm ſuperum curæ ac divis digniſſima tellus,
Illa decens fuerit promiſſa ſorte beata.
Tum me non Helicon teneat, non Theſſala Tempe,
Non fons, quem volitans excuſſit Pegaſus ungui;
Corripiam curſum nectam talaria plantis,
Quo, mortalis adhuc, terreſtria limina circum
Ante diem capiam cæleſtis pabula vitæ,
Quamque prius liceat menſis accumbere divum,
Æthereos ducam divini nectaris hauſtus.
Acrior at Proteus juvenilia pectora dictis
Talibus exacuit: quæ tum, inquit, pocula blandæ
Lætitiæ haurires, jam ex omni parte beatus,
Cum, quæ nunc tenuis, fuſcoque infecta colore,
Florida Apis leni circumvolat arva ſuſurro,
Dædalea exceptum referens infecta liquorem,
Tum formoſa, ingens, auroque nitentibus alis
Dulce canens, cæli feliciter aſtra pererret,
Vnde orbem complexa, ſuos ad læta vocabit,
Expulſis late bellis, ſimul ocia cives.
Sic intus ſuperat cupidi mihi pectoris ardor,
Cyrene genitus dixit, ſic gaudia creſcunt,
Vt plane immitis jam ſit mihi funeris inſtar,
Non tenuem fidibus vocem ſociare canoris,
Atque Apis eximias ad ſidera tollere laudes:
Da mihi te facilem, Proteu, junctique canamus,

Sirius

Sirius arentes supra dum fulgurat agros,
Sitque operis merces, operi tribuisse laborem.
Audiat hæc Doris viridi de rupe canentes,
Audiat & pelago Nereus, regnator aquarum,
Mulcentes vacuas lætis concentibus auras.
Accipit hæc hilari Proteus data munia vultu,
Atque Apis imperium, venturaque regna, nitenti
Junctus Aristæo, cecinit sic aurea cantu.
Supremo dilecta Iovi, quem grata sub antro
Pavisti Idalio, Curetum sacra secuta,
Orbis in auxilium venies. pro munere tanto,
Teque fides, decus, ac virtus, & amœna voluptas,
Et, quæ se eripuit terris, Astræa sequetur,
Te duce. dira fames fœdaque examina tabe
Atra lues fugiet, plenas ac nectare cellas
Grata Iovi quercus, implexaque nubilus ilex
Nectareos fundet succos, atque aurea poma;
Nec jam præteriens. sitienti fessus, ab amne,
Ore bibet latices, dulci sed pocula lacte.
Pieridum Phœbique decus, lux, maxima cura,
Quæ revoces cantu veterum miracula rerum,
Vt sua silvestres currant ad carmina quercus,
Eumenides stupeant, teneat tria Cerberus ora.
His dictis, Proteus saltu se jecit in æquor.
Pastor Aristæus materna in tecta recessit.

Delectavit nos mirabiliter illud carmen, & quod caput est, à somno atque ab expectandi molestia liberos reddidit. Sed vix Gallonius ad ejus carminis calcem decurrerat, cum ita ruere hominum multitudo cœpit, ut minore vi impetuque torrentes ire dixisses: ac dicto citius impleti sunt omnes, è marmore, sedilium ordines: atque inter eos, qui serius venerant, ac frustra sessum properabant incedere, eum aspicimus, qui mane illo patroni sui liberalitatem enarraverat: & quia aliquanto laxius sedebamus, in angustius nos ipsi spacium, alter alterum impellendo, contraximus, tantumque spacii reliquimus, quantum esset uni satis: tum vocatum eum ad nos recepimus. De quo Paulus Æmilius quæsivit, num senex ille Megalobulus, qui erat ita ridicule parcus in remunerando, pecuniæ inopia laboraret, aut in

magno aliquo ære alieno versaretur. Qui, Immo est, ait, longe ditissimus, atque in suis nummis neque teruncium cuiquam mortalium debet: nam ex fructibus prædiorum, quæ possidet, talenta magna auri tricena statim capit; quorum vix bina ad vitæ necessitatem ac ad usum domesticum erogat. Ædepol, inquam, mortalem parce parcum prædicas. Sexcenta, ait ille, sunt, quæ memorem; at illud memorabile de sua liberalitate exemplum, antequam huc me reciperem, dedit. Ingens eum cupiditas ceperat, symphoniacos quosdam audiendi, qui hodie laudantur in primis. hæc ejus cupiditas, eorum corypharo renunciatur: qui, pro eo, quod iste, ob munus quod sustinet, magno est in honore ac nomine, una cum symphoniacis statim accurrit. at illi, jussi, ad miraculum canunt. sed, postquam tres horas, atque eo amplius, misere illos exercitos habuit, pollucibili eos merenda accipi imperat. nec mora, mustacei æque cariosi, atque ille, quem mercedem esse voluerat laborum, quos pro ipso sumsissem, afferuntur; his spiræ, ac pauca quædam bellaria accedunt, quæ, annum integrum, in sua supellectile clausa atque constructa, tum primum ad aspiciendam lucem excesserant: vinum etiam illis suppeditatur, quod aberat propius ab aceto, quam à vino: atq; ita saturatos & expletos domum dimisit. Coryphæus, qui eos adduxerat, nunquam majoribus sese tricis implicatum invenit. nam tumultuosissime pene ab illis oppressus est domi, & compulsus, navatæ ab ipsis viro nobili operæ mercedem efferre; quam, si tantulum moraretur, se ab eo repetituros minitabantur. Itaque, quo se à flagitatoribus illis molestis, atque etiam litium periculis vindicaret, senas in singulos drachmas de suo distribuit. At videte, si ille ariditate pumicem vincat, si sterilitate arenam exuperet. Postquam symphoniacos à se dimisit, vocat œconomum, queritur, lamentatur, sibi rem periisse, se esse eradicatum. atque, Vndecim, inquit, dii plusquam est in cœlo deorum immortalium, illum perdant, qui artem musicam invenit, quique per eam victitant: nam, si non esset hoc genus hominum, qui aërem venditant, quique pro aëre rem dari sibi solidam expetunt, non hæc mihi cupiditas in animum incidisset, vani-

tas mera, perſolæ nugæ. o me fatuum, fungum, bardum! dum me inanitatibus impleo, illi rebus ſeſe opiparis farciunt. dii boni, quantum in ſe vini ingurgitarunt! quantum rerum precioſiſſimarum in ventrem abſtulerunt! profecto hic illis dies luculentus illuxit, mihi niger emerſit, illis utilis, mihi damnoſus evenit. illis amicus, mihi malignus ex orco erupit. ut ego libenter huic diei male facerem, ſi poſſem! ut illi oculos eruerem! ut mordicus naſum evellerem? ilicet muſicæ arti, in maximam malam crucem. Ac finem querendi nunquam feciſſet, niſi œconomus, qui pulchre illum noſſet, alios de rebus domeſticis ſermones intuliſſet. Dum hæc loquitur, Icoſippus adeſt, ſuggeſtum aſcendit, ſurgit præco, facit populo audientiam; ille hujuſcemodi orationem habet.

Credo ego, auditores, expectari à me longam, atque omnibus verborum ſententiarumque luminibus ſplendidam & ornatam orationem: ſed vos ſpes iſta deficiet; atque, ſi ea huc gratia veniſtis, ſurgatis moneo, &, qua veniſtis ſemita, revertatis. Eorum enim, in quos dicimus, temeritas ac ſtultitia, non altæ exaggerataeque orationis quaſi telis feriri, ſed ſalibus facetiiſque elevari deſiderat. Quamobrem pro ratione temporis, quod totum hilaritati tribuitur, brevi, jucunda, ac familiari oratione, vos delectare conabor. ac ne mihi ſim in mora, ad rem ipſam aggredior. Ex omnibus hujus vitæ rebus, nulla minus firma ad conſiſtendum res eſt, quam generis humani fragilitas; neque ullus unquam ſapiens, tanto cum plauſu, vitæ curſum tenere potuit, quin aliquando, vel ad dexteram vel ad ſiniſtram, de regione deflexerit. Ad hæc, ſi cui tempus, ætas, occaſio, ad fallenda veſtigia, tanquam limus ſubſederit, vel tanquam impetus, ad deflectendum, vim prope attulerit, quid mirum, ſi hunc errare vel labi contingat? Satis officio, ſatis ſibi ipſe fecerit, ſi vel in luto totis veſtigiis hærere, vel tota via errare, jucundum non duxerit, ſed reducenti ſe ab errore, vel retrahenti à ſordibus, manus dare non recuſaverit. Verum ex omnibus caſibus & erroribus, periculoſiores gravioreſque ſunt multo, errores & prolapſiones cordis, quam linguæ; ani-

mi, quam sermonis. Hæ enim culpæ sunt temeritatis, illæ consilii; hæ levitatis, illæ cujusdam quasi immanitatis. Linguæ extrinsecus sordes illinuntur, animo turpitudo intrinsecus additur: lingua, dum aliis voluptatem, nobis hilaritatem quærit, sæpe nolentes, quo minime cogitamus, abstrahit; animus, dum, quod incidit in mentem, vult, sese sciens volensque ad nefaria vitia, tanquam ad infames aliquos scopulos, impellit, ac frangit. At petulans, inquies, lingua non tenue corrupti est animi argumentum. ut enim lyra vel fides, concordibus inter se nervis, dulce & jucundum quid recinit, iisdemque discordibus, absonum & inconditum aliquid reddit: ita bene cordatus animus, nullam nisi ex virtute, nullam nisi ex optimis moribus vocem emittit; contra intemperans ac pravus, turpibus ex verbis, tanquam ex discordi quodam sono præsertim agnoscitur. Vide, quam nihil agas. Ita fidium & animi, in voce cantuque reddendo, dissimilis est ratio, ut nunquam res duæ minus apte in comparatione jungantur. Non potest lyra vel fides, recte canendo, male convenientium inter se chordarum discordiam dissimulare; sed est necesse, ut ex earum ratione modoque pulsatæ sonum emittant: sola impuro animo, ut cantus discordibus nervis in fidibus, non respondet oratio. Non petam aliunde hujus rei argumenta, non abibo longius; in his temporibus, in his moribus versabor miseris ac perditis. Quid est tam commune, quam fidem fallere, promissa non facere, alterum blandiciis in fraudem illicere? Quæ omnia quid aliud, nisi ab improbo animo probam orationem proficisci posse, declarant? Quoties, cum lingua juratur, mens tamen injurata retinetur! quoties casta oratio, ad insidiandum pudicitiæ virginum, matronarumque castitati, suscipitur! quoties ad evertendos fama, vita, fortunis homines, officii species induitur! Vidi ego, per simulationem amicitiæ deceptos ac perditos, quos inimicitiæ indictæ apertæque non læserant. Vidi ego præsidia longe munita pudoris & pudicitiæ, quæ nulla vis ceperat, fictæ probitatis insidiis expugnari vincique. Quid multa? nullus ad captandos homines certior laqueus

queus immittitur, quam qui pudico proboque ſermone contegitur. Hic, quia, joci cauſa, in ambiguum aliquod verbum delabitur, cum reliqua vita ſit continens, timetur, fugitur; alter, qui non linguam ad unum verbum, ſed manus ad quodcunque facinus tendit, qui non ſermonem ad lepidum aliquod factum, quamvis dignum ſupplicio, explicandum inflectit, ſed mentem corpuſque in omne genus libidinis, tanquam in lutum, demergit, quod caſtior ejus videtur oratio, amatur, accipitur. At nullum à faceto illo periculum imminet; at contra magnus à probo iſto, ſi diis placet, metus oſtenditur: nemo, in libera illius oratione, rei ſuæ, vel pudicitiæ, naufragium fecit; contra, in iſtius pudico ſermone, multorum innocentium fortunæ, multarum ingenuarum caſtitas hæſit. Mirum, quantum hunc locum illuſtrat apologus ille de muſculo, qui nunquam lare familiari ſuo, hoc eſt, domeſtici parietis rimis egreſſus, lucem aſpexerat, cui, ſimul ac exiit, gallus & felis occurrerunt. felis, manſueta ac dormienti ſimilis, quaſi non vidiſſet, diſſimulare, oculos interdum aliò convertere, locum non relinquere, nullam vocem dare: contra gallus ſumma cum feſtivitate, & maxima voce, accurrere, obviam eidem tendere, maximos ludos inire: muſculus, ea voce ac forma perterritus, fugam arripere, in penitiſſimam ſui parietis partem ſe conferre. forte domi aderat mater, cum ſic fugientem eum aſpexit, &, Quo te agis, inquit, fili? quid eſt, quod te exanimatum video? cui muſculus, Mater mea, perii. mater, Quid tibi eſt? ait; quid periiſti? cui tandem miſellus ille, Egredienti mihi, inquit, domo, fit obviam, neſcio quod animal, bipes, criſtatum, plumis tectum, ejecta lingua, fluentibus buccis, ardentibus oculis, quod ſtatim in me impetum fecit; credo, ut integrum devoraret; ſedebat ex adverſo aliud animal, pellitum, placidiſſimum, videre velles mater, vultu adeo manſueto, adeo venuſto, ut nihil ſupra; id non ſe loco movebat, ſed oculos, modo graves, ſomno paululum dabat, modo inſtar ſiderum lucidiſſimos, alio detorquebat. cui mater, Quid audio? inquit, hoc eſt illud animal, adeo generi noſtro infeſtum, de quo tibi ſæpe narravi; neque aliud quidquam illa manſue-

ſuetudinis ſimulatione ſpectabat, niſi, ut te incautum opprimeret; contra, illud alterum, feſtivum ac petulans, effuſiſſima illa lætitia ludos tantum jocoſque tibi parabat. Felis ſimilitudine, religioſus ille deſignatur, qui linguam quidem continentem habet, ſed manus promtas ad quodcunq; facinus gerit; in galli vero protervia, ejus libertas agnoſcitur, qui linguam patitur interdum longius excurrere, mores autem facile ſemper tuetur. At iſtuc, inquies, cordis linguæque diſſidium nunquam ſani hominis reprehenſionem effugiet, cujus aures ab oratione, cum moribus diſſentiente, immane quantum abhorrent. Bene agis; novi locum, ubi te jactes. nam iſtuc cordis linguæque diſſidium, omnibus ſapientibus merito ſemper fuit inviſum. Sed duplici ratione, ſermonem à corde diſcrepare, contingit. primum, cum probam orationem vita ſceleſta, atque omnibus vitiis contaminata, ſubvertit. deinde, cum laſcivum ſermonem ratione modoque adhibitum, vita integra, interdum joci cauſa ac delectationis aſſumit. Primum acerrime viri boni inſectantur; at prope ſilentio alterum obruunt. primum flagitioſum ac turpe; alterum humanum riſuque excipiendum putatur. primum pœna ſupplicioque conſtringendum; alterum impunitum ac liberum dimittendum eſſe cenſetur. primum execrandum; alterum in his etiam moribus expetendum videtur. poſtremo, in uno omnia inſunt vitia, ſimulationis, mendacii, improbitatis, proditionis, nequitiæ; in altero vix tenuis quædam nota imprudentiæ ac levitatis agnoſcitur. Quid ſi homines graviſſimi atque ab omnibus vitiis remotiſſimi, in hac ſunt ſermonis levitate verſati? Mitto Horatium, Ovidium, quorum uterque obſcœnis verſibus libros ſuos referſit, & tamen alter pudicum ſe, ait, ſervatum

——— *ab omni,*

Non ſolum furto, verum opprobrio quoque turpi:

alter vero, Auguſto Cæſari ſuam probare innocentiam cupiens, ſic ait;

Crede mihi, diſtant mores à carmine noſtro;
Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mea eſt.

Mitto, inquam, hos omnes. M. T. Cicero, qui ſibi, homini in Rep. novo, nulla commendatione majorum

inſtructo,

ſtructo, ſed tantum probitatis innocentiæque præſidiis munito, ſummos ad honores aditus patuiſſe confirmat, qui hoc præſertim argumento innocentiam ſuam omnibus probatam eſſe vult, quod ſe honoreſque ſuos, tanquam in aliquo orbis terræ theatro, omnium oculis expoſitos habuiſſe putaverit, qui uſque eo ſe probum fuiſſe gloriatur, ut ſemper omnia, quæ jucunda videntur eſſe, non modo his extraordinariis cupiditatibus, ſed etiam ipſi naturæ ac neceſſitati denegarit; hic inquam vir, tam, ſuo judicio, probus, tum alias ſæpe in orationibus ſuis, de obſcœniſſimis vitiis, ſumma cum libertate diſſeruit, tum præſertim in ſecunda Philippica, improbiſſimis Antonii moribus exagitandis, ita repagula omnia modeſtiæ perfringit, ut interdum me partem illam orationis pudeat aſpicere. Quis integrior, quis caſtior, quis melior in Rep. civis Q. Catulo patre fuit? verum, ſi ex quibuſdam epigrammatibus judicare de ejus moribus liceat, quod nefariæ libidinis genus ab ejus vita abfuiſſe credendum eſt? Quid multa? Piſonem illum, qui ex incredibili in omnibus rebus temperantia, frugi cognomen invenit; nonne iis uſum eſſe verbis in annalibus ſuis, veterum memoria teſtatur, quæ à paulo verecundo homine ſine rubore legi vix queant? At iſtorum omnium obſcœna oratio, non eſt paucorum commiſſa auribus, ſed omnibus ſeculis tradita, non ſparſa in breve neſcio quod tempus, ſed proſeminata in orbis terræ memoriam ſempiternam. Sed jam procedat in medium, non unus aliquis vir probus, ſed ingens eorum numerus, non unius ætatis ejuſmodi hominum conventus, ſed multorum ſeculorum jam inde uſque à Zenone magiſtro proſeminata Stoicorum familia: cum iſtis non modo non eſſet conceſſum, corpus ſuum voluptatibus tradere, ſed ne mentem quidem vel breviſſimæ earum cogitationi permittere, nullis tamen legibus obſtringebantur, quo minus obſcœnum quodcunque verbum, ubicunque opus eſſet, evomerent. Et quia infinitum eſſet de ſingulis dicere, unum eligam Catonem, in quem, quidquid ubique ſeveritatis Stoicæ fuit, tanquam unum in locum conveniſſe, multorum litteræ tradunt. Hic vir egregius ac magnus, conſentiens cum ea diſciplina, quam profite-

fitebatur,eſſe voluit,nullum obſcœnum verbum à ſe rejicere debuit,cum apud ſenatum,apud populum, perditos ſuæ civitatis mores execraretur.Quod ſi eſt ita,quid eum erat aſpicere,qui cum ſtrenuo virtute,cum abſtinente innocentia certabat, ab ignaviſſimo quoque turpiſſimoque ſermonis verecundia vinci?Quid erat tam admirandum, tam incredibile, quam videre, Catonem, quo nullum habebat in terris Iupiter ſpectaculum pulchrius, in conventu hominum honeſtiſſimorum, æque liberos habere ructus ac crepitus? Quid tam reprehendendum, quam eum, qui, partibus ſuis non ſemel fractis, nihilominus ſtetit inter ruinas publicas rectus, in rebus flagitioſiſſimis, ſuis nominibus appellandis, turpiter labi? Sed eſſe, quam videri bonus malebat. Iam vero, ſi omnem de rebus obſcœnis ſermonem, qui tamen habeat admiſtum aliquid leporis & ſalis, à quocunque hominum cœtu repellimus, licet comœdiam è theatris ejiciamus, fabellas proſcribamus, ſatyram è mundo tollamus, quæ erubeſcendis cujuſque amoribus & cupiditatibus, ſublatis nominibus, evulgandis, ſalutem animis, voluptatem auribus quærit. Nempe, inquies, tuus hic ſermo huc redit denique, ut nullis coërcendam frenis, exultantem verborum licentia, eſſe linguam exiſtimes. Non eſt ita, nimis interdum effuſæ hilaritati veniam, non liberam impudentiæ licentiam, efflagito: facetos homines interdum, temporis cauſa, prope cum ratione inſanientes, à calumnia, non, impuros, nulla de cauſa ſemper obſcœnos, à flagitio vindico. Minus honeſtam orationem, honeſtis tamen verbis explicatam, auribus accepiſti? non illico frontem contrahas, mentum intorqueas, objurgationes arripias; ſed mores dicentis, ætatem, conſilia, ſtudium, præterea temporis rationem exquire. ſi probo quidpiam homini, tempore permittente, ac ceteris rebus non reclamantibus, excidiſſe comperies, exporrige frontem, da te illi, hilarem lubentemque te præbe. At hic progreſſus eſt longius. At tu naturam, quæ illi præſidio deberet eſſe,in crimen & invidiam vocas. Omnino ſic ſe res habet, ut quem natura non aptiſſimum finxit ad jocandum, is, ſi conetur, ad intolerantiam inſaniat: cui idem contingit, quod aſello illi contigiſſe narratur,

qui

qui ut suis sibi blandiciis domini voluntatem alliceret, ita ut catellum facere viderat, anterioribus pedibus in sublime elatis, iisdemque in dominum demissis, totum os illi contudit. Neque hic tamen, ut asellus qui sic fecerat, fuste accipiendus est, sed propter tempestive delectandi voluntatem quam habuit, dignus est potius, cui severiorum supercilia, & nixa bacillo senectus ignoscat.

Dum hæc maxime loqueretur, assensiones multæ, admirationes crebræ consequebantur; ita multæ acclamantium voces, Pulchre, bene, recte, exaudiebantur, ut nulla orationis pars silentio præteriretur. ac nemo erat in ea concione, qui religiosis illis male non precaretur, qui non eos extinctos cuperet. Sed postquam dicendi finem fecit, à turba gratulantium pene est obrutus. nos quoque, quantum loci ac temporis patiebantur angustiæ, officium eidem nostrum benevolentiamque præstitimus; atque inde domum revertimur mœsti, quod, desiderio nostro celerius, à nobis Gallonius discederet. Is enim erat noster in eum amor, ut pars viscerum à nobis abrumpi, ejus abitu, videretur. Neque ullus erat relictus hominis retinendi locus. nam ille, qui ejus operas conduxerat, & à quo missus ad arcus coëmendos fuerat, litteris vehementibus revocabatur, quod diceret, innumeram fere vim avium toto cœlo pennas extendere, quæ certissima ejus præda essent, si ille cum arcubus & sagittis adesset. Gallonius, ad quem non minor, quam ad nos ex ea re ægritudo recidebat, Inveni, inquit, rationem, qua non ita celeriter à me distrahamini. quo mihi iter est, in publica totius civitatis lætitia, ob Regis Nicephori mortem, paucis post diebus referendi sunt omnes illi ludi, qui variis anni temporibus à Poliarchis populo dantur. illuc mecum veniatis censeo: capietis enim ab iis spectaculis voluptatem non minimam. Non tam ludorum amœnitas, quæ dicebatur, eosque spectandi cupiditas, quam noster in Gallonium amor, & jucundissima ejusdem consuetudo, fecit, ut nos cum eo ituros diceremus, & constitueremus. Itaque, sine ulla mora, amicis salvere jussis, & in primis Aristide, cui etiam pollicitus

citus ſum, me litteras daturum, nos ad profectionem comparavimus.

LIBER X.



Oſtridie mane, poſtquam aurora illuxit, una cum Gallonio, ac paucis quibuſdam mercatoribus, navim petimus, conſcendimus, ſolvimus, vela damus, ac proſpera uſi tempeſtate, celerius multo, quam opinio noſtra ferebat; optatum portum attingimus. E navi egreſſi, alius aliò iter arripuit; qui in mercatura vertebantur, ad ſua negocia, nos ad Gallonii ædes proficiſcimur. At Gallonio nihil fuit prius, quam ut ad eum recta contenderet, cui arcus ſagittaſque coëmerat, eaque emtione, quam ſibi feliciter eveniſſe arbitrabatur, animum eidem expleret. Vt igitur ad Gallonii ædes pervenimus, paululum, ut opinor, nauſea commotos, quod quidem actutum abſceſſit, nos quieti tradidimus. At interea dum Gallonius ſe domum reciperet, ne expectandi moleſtia atque faſtidio arriperemur, librum aliquem quærimus, lepide de rebus lepidis amœniſque conſcriptum, cujus lectione omnis ab animo labor atque faſtidium exigeretur. Sed dum multas librorum ſtruices ſubvertimus, nec ullus adhuc liber noſtræ cupiditati conveniens occurrit, audimus, vocari à janua Gallonium. reſpondemus, domi non eſſe: ac clara voce rogamus, ut, quiſquis eſſet, ne gravaretur aſcendere. obtemperat ille, ſcalas aſcendit, ſeque nobis in conſpectum tradit. Hic erat Aridus, Academicos inter non poſtremus, & Gallonio amicus in primis. Cui advenienti aſſurgimus, contra pariter ferimus gradum, conferimus pedes, ſalutem impertimur, in amplexum irruimus. ille quoque non minus perblande eadem nobis humanitatis ſigna, amicitiæque officia rependit. Tum rogavimus, quænam illum ad nos cauſa attuliſſet. Vt, inquit, Gallonio, quem ab eo, qui ipſum in portu vidiſſet, rediiſſe accepi, tam celerem ac proſperam reverſionem gratuler. Rediit ille quidem, dicimus;

mus; ſed ut navi egreſſus eſt, nondum deos penates ſalutatum advenit. nam voluit primum rebus domini ſui, ut æquum erat, præverti: verum, mox huc eum adfuturum ſperamus. tu vero, niſi quid magis es occupatus, da te nobis, & interea dum huc ille ſe recipit, aliquid tuæ ſuavitatis imperti. Non fuit opus magna vi, ad hominem humaniſſimum retinendum. Itaque ſellas poſcimus, atque omnes ſimul aſſedimus. At Paulus Æmilius, ex oculis & ex ore, paulum eum perturbatum atque commotum agnovit, atque, Niſi, inquit, nimis ſim audax, quid, obſecro, iſtuc eſt tibi? quid commutatus eſt color? ſolicitus mihi, neſcio quare, videris. At ille, Ob cujuſdam mihi reſponſum, quod ſane viſum eſt arrogans, aliquantulum animo ægre eſt. dederat mihi vir quidam librum, quem ediderat, legendum; quem ego, quamquam magnis diſtrictus occupationibus, legi. modo fit mihi obviam, ac meam de illo ſententiam exquirit. cui ego, id quod erat, reſpondeo, eum mihi eloquenter ac docte ſcriptum videri. ille frontem contrahere, caput quaſſare, ſeque mihi eſſe iratum dicere. quæro, quamobrem. reſpondet, quod parce ſe, immo longe infra ejus merita laudaſſem. expectabat videlicet homo inflatus ac tumidus, dum ego expalleſcerem, illacrimarem, dum clamore ſublato dicerem, Non potuit melius hic; non ſuæ ætatis modo, ſed vicit gloriam omnium ſuperiorum. id quia à me non eſt factum, fortaſſe invidiæ, atque alienæ laudis odio, aſſignabat. tum ego commotus, nullum ultra verbum addens, in ſua faſtoſum hominem ſtultitia reliqui, atque huc properavi, ut Gallonium inviſerem, &, quod mihi ægre eſt, apud eum evomerem. Tum ego, Nulla, inquam, ratione ab eo factum exiſtimo, ut ex hoc tuo reſponſo tantopere excandeſceret. non enim à te potuit uberius ac cumulatius ornari. nam quæ major expectari poterat oratori laus ab homine ingenuo, atque acri ſui artificii æſtimatore, præter hanc eruditionis & eloquentiæ? nimius hic, in laudando, veritatis tanquam exceſſus ac ſuperlatio, non tam eſt probi atque prudentis laudatoris, quam ſtulti atque improbi adulatoris. At vereor, ait Paulus Æmilius, ne eloquentiam eidem tribuendo, multo plus dederis,

quam

quam ratio ac veritas ipſa largiatur. nonne, ut tu longe melius quam ego noſti, M. Antonius orator in eo libello quem unum ſibi excidiſſe dicit, diſertos ſcribit ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem? quod ſi neq; ipſe ſibi, neque L. Craſſus, eloquens videbatur, ille viſus eſſet quem laudaſti? At, non ſum ego, inquit Aridus, ille aſper & durus, ut eloquens nihil eſſe putem, niſi quod in illam perfectam & exactam eloquentiæ formam includatur; verum ad eos etiam detorqueri id nomen poſſe exiſtimo, in quibus, ſi non omnes, aliquot ſaltem oratoriæ virtutes eniteant. hactenus laudare, humanum atque etiam laudabile arbitror; ceterum divinitatis, aliiſque inaniſſimis titulis afficere ea, quæ ferri tolerarique vix poſſunt, inſani vel nihil plane intelligentis eſſe, fateri compellor. At non video, excepit Æmilius, quid hæc immodica, atque altius quam par eſt exaggerata laudatio iis, qui ornantur, utilitatis apportet. immo, ut experientia docuit, multis ſæpe obfuit plurimum. etenim nulla res alia ita properantis curſum ad eloquentiæ palmam ſiſtit ac retinet, ut hæc vitioſa & inutilis laudatio, cui, vix fieri poteſt, quin ille, qui ſic inflatur, aſſenſionem præbeat ſuam. quid ergo? continuo ſtudium remittet, laborem imminuet, neque aliud ultra eſſe putabit, quo progredi poſſit. ſi quis, dum acriter in curſu verſatur, à corona ſpectantium exaudiat, Viciſti, ad calcem perveniſti; quid ille agat, præſertim ſi ſit loci, quo ſit decurrendum, ignarus? nonne curſum ſupprimat, gradum ſiſtat? nonne ſecum ita loquatur, Cur ego laborem inanem ſumo? cur meos rumpo ramices, decurſo jam ſpacio? Ita etiam, qui in hoc quaſi curriculo eloquentiæ doctrinæque verſantur, ſi crebris acclamantium vocibus excipiantur, ſummos eos artifices & magiſtros deoſque vocantium, periculum eſt, ne, decepti, ſtudium remittant, induſtriam imminuant, ac deſiſtant ante decurſum. Similis, ego ſubjicio, incommodi ratio obſtitit atque adverſata eſt Hortenſio, ſummo oratori ac palmæ jam proximo. erat in Hortenſio admirabilis ingenii facultas; ſermo, cum concitatus ac vibrans, tum concinnus atque facetus; ſententiæ dulces atque venuſtæ; illud acre ac ſeverum, nec tam fuco puerili illitum,

tum, quam veritatis colore asperum dicendi genus aberat. verum, quia illa dicendi ratio concinna atque venusta, popularierat assensioni in primis accommodata; fiebat, ut clamores & admirationes efficeret. quo vulgi judicio captus, tanquam si non esset aliquid maturius &, ut ita dicam, senius; quo prima illa veluti eloquentiæ ætas pervenire posset, studium & exercitationem; quæ sunt pabulum eloquentiæ, remisit, seque eo deduxit, ut, qui diu princeps oratorum, aliquando æmulus Ciceronis, existimatus sit, demum, quoad vixerit, eidem ac multis aliis inferior extiterit. ut satis appareat, quantum ad exsecandam crescentis eloquentiæ vim valeat hæc tam præpropera ac festinata laudatio. Vt vos dii omnes deæque adjuvent, inquit Aridus; aspersistis aquam; quemnam invenire potuissem, qui melius medicinam faceret? ita vestris sententiis omnem mihi ab animo ægritudinem depulistis. jam vero quis modus laudandi iis placuerit, qui sic laudari consueverunt? nullus opinor. nulla laudis satietas satis est iis, quibus nullus ambitionis satis est modus: & qui vana sui opinione inflantur, novis semper titulis inhiant: volunt divini, cælestes appellari. atque hæc etiam apud eos vocabula obsolescent. nimis unumquemq; natura sui ipsius suarumque rerum amatorem effinxit: utinam parcius hac in re sese gessisset, neque tantam indidisset in animos hominum cupiditatem laudis & gloriæ. ab hoc fonte prodeunt simultates amicitiæque, quæ cum litteratulis suscipiuntur; prout eos quisque parcius vel liberalius laudaverit. quamobrem multi, ne in has difficultates incidant, simul atque isti suas ineptias recitare cœperunt, simulato aliquo morbo discedunt. atque, ut de aliis taceam, quoties ego, causatus laterum vel capitis dolorem, porrectum ad istorum nugas jugulum extraxi! Linquamus hæc, inquit Paulus Æmilius; statuas, statuas, si diis placet, litteratorum sibi hominum quæsivit insania. homines segnes ac tenues, faciendæ poliendæque orationis artifices, non puduit, summorum Imperatorum præmia, ob res bene gestas, invadere. Leontinus Gorgias tantum sibi honorem est passus haberi à

Græcia, soli ut ex omnibus, Delphis, non inaurata statua sed aurea statueretur. at quod ob meritum, dii boni? quia, circulatorum more, ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire. Isocrati Olympia, Demostheni Athenæ, statuas dedere. quem honorem ne Miltiadi quidem decreverant, qui parva manu decemplicem hostium numerum fuderat, ac prope deleverat, neque aliam tantæ victoriæ mercedem tribuerant, nisi ut in porticu, quæ Pœcile vocatur, cum pugna pingeretur Marathonia, in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur, idemque hortaretur milites, præliumque committeret. Sapiens videlicet populus, ac nondum largitione corruptus, intelligebat, tenues honores ac raros, esse gloriosos; effusos & intemperantes, invidiosos ac turpes. Hic ego hominum arrogantiam admirans, Estne aliquid, inquam, ultra, quo progredi istorum ambitio possit? Reperietur, inquit Aridus; L. Accius Poëta, cum non essent, qui statuam darent, ipse sibi, si diis placet, statuam faciendam statuendamque locavit. quid potuit facere elegantius homo cupidus monumentorum & laudis? Illud vero perridiculum, quod, cum esset perpusillus ac brevis, peramplam sibi statuam excelsa in basi locavit. Sed quid demum inepti, stulta ista atque impudenti laudis cupiditate, præter cachinnos irridentium extorquent? rident homines cordati & intelligentes, cum audiunt, ea sibi velle pro auro obtrudi, quæ vix plumbi locum obtineant, immo quæ innumeris prope vitiis abundent. At perinde illis accidit, ut quibusdam Imperatoribus, quorum elogia, in basi statuarum exscripta, risum & stomachum commovent. quis enim risum teneat, cum legat, eos in exemplum fortitudinis, continentiæ, virtutumq; omnium, posteris tradi, quorum imperitiæ, inertiæ, avaritiæq; vestigia ac prope cubilia ipsa cernantur? Nec minus apte ridentur insulsæ quorundã adulationes, ea scripta, ut ornata, pura, ac dilucida, admirantium, quibus nihil esse constat incomtius, obscurius, inquinatiusque. Summa denique huc redit, ut nos in laudando non tam sequamur id, quod iis, qui laudantur, placet, quam quod eorum utilitas ac veritas ipsa patiatur. Tum ego, Est qui-

quidem, Aride, quod maximas tibi gratias habeamus. quod huc veneris;nam ante tuum adventum soliciti eramus, cujus potissimum libri lectione, quæ prandium antecedunt horæ, consumerentur: sed tua ista sive disputatio, sive sermo, fecit, ut nihil libros desideraremus: omnibus enim libris fuit nobis longe jucundior. Si quid hodie, inquit Aridus, à me datum est, quod vobis profuit, mecastor mihi est volupe; sed, quod antea volui dicere, ac sum oblitus, velim scire, quænam causa vos huc attraxerit. Celebritas ludorum, qui mox repetendi sunt, diximus, una cùm Gallonio in hanc urbem navi vectos adduxit. Factum est à vobis, inquit Aridus, pulchre atque sapienter. ita sunt omnes lepidi atque venusti, ut dicturi sitis, navasse operam, quod huc veneritis, ac perendie illis instaurandis initium fiet.atque perendie, cum aliis fere octo proximis diebus, primo loco certamina eorum, sive hominum sive equorum, edentur, qui inter se cursus velocitate contendunt,ac multos jam dies, in propatulis locis atque directis, sese ad cursuram exercent. hos alii deinceps ludi consequentur.hodie præmia, victoribus proposita, tota urbe circumferentur. neque vobis, spectandi gratia, abeundum est longius, immo ne pedem quidem domo efferendum; quod Poliarchus, qui paucis ab hinc diebus commigravit huc viciniæ, cujusque pater olim sutoriam ignobilem fecerat, mandavit, ut sui honoris gratia, hæc ob suas ædes pompa ducatur. Inter hæc venit à Gallonio nuncius, cum gerulo, qui sportas duas, ab utraque parte ærumnæ appensas, optimorum eduliorum plenas ferebat. ibi erant pernæ, abdomen, sumen, suis glandium, pulli gallinacei, tum assi tum elixi, farcimina, molle caseum; ac plura vini veteris œnophora. hæ dicebantur esse reliquiæ, ex domini mensa collectæ, quas nobis Gallonius mittebat, ut sine ipso prandium iniremus conficeremusque: se enim cogi, suo cum dynasta rus ire, quo arcuum, quos attulerat, jaculando periculum faceret. Nos obsoniis tam lepidis tamque opiparis aucti, rogare etiam atque etiam Aridum cœpimus, ut nobiscum rogum incenderet, ac faceret illi prandio funus. Sed Aridus, nulla condicione adduci poterat, ut ad postulata nostra precesque descen-

 deret.

deret. Tum ego, pene rogando defessus, Vide, inquam, Aride, quid agas. tua enim culpa, nisi inducas animum manere, magna nobis pars ejus voluptatis, ob quam hæc est à nobis navigatio suscepta, præripitur. nunquam nobis alias contigit hos ludos aspicere. plane sumus in hujus civitatis moribus rudes atque hospites; nemo est, qui docere possit, quæ sint illa præmia, cuique cursorum generi singula designentur. Aridus, hac oratione victus, simulque metuens, ne inurbani hominis notam subiret, in nostra potestate se fore totum, asseruit. Ne multa; hilares accumbimus, prandemus; ac, confecto prandio, surgimus, paulum quieti somnoque indulgemus. Sed aliquanto post, cum jam vergeret in vesperum dies, excitamur, ad strepitum turbæ, quæ fiebat in via; & continuo, una cum Arido, ad fenestram accurrimus, ac plures, personis indutos, hac illac bacchantes aspicimus; quorum aliqui vultu, habitu, atque sermone, bajulos, alii pistores, alii rusticanos, alii coquos, alii doctores imitabantur: hos tum pueri, tum grandiores, clamoribus ac sibilis insectabantur. Istis, inquit Aridus, hac libertate præbita, ac personarum, tanquam latibulis, tectis, quidvis licet impune in alios dicere; neque quisquam, sibi factam injuriam, queri potest, neque iis unquam, ob hanc causam, injuriarum dicam impingere. Vix horæ unius spacium interjectum est ab hoc sermone, cum vecti sunt plaustro saltatores ad decem, varia veste induti, qui, ut à Poliarcho gratiam inirent, plaustrum sistunt, & in tabulato, quod in medio ejus affabre erat instructum, & tapetiis conchyliatis constratum, ad fidium tibiarumque cantum lepidam saltationem iniere, eamque variis atque venustis motuum generibus distinctam, fere ad vesperam usque pertraxere. Saltatione transacta, plaustroque è conspectu sublato, magnus tubarum clangor auditur. statim oculos in eam partem convertimus, unde sonus ille in nostras aures videbatur influere. atque in summa via tubicines, ad summum sex, purpura auroque vestitos, & in equis sedentes, aspicimus; hos Pistes undecim (hi sunt circumpedes Poliarchorum, ut diximus,) sequebantur, singula singuli hastilia deferentes, per quæ varii generis & coloris, cuspidibus eorun-

eorundem affixæ vestes dependebant. & quoniam earum vestium mensura multo hastilium proceritatem excedebat, nam senis vel octonis singulæ ulnis in longitudinem patebant, quod erat reliquum, ne traheretur, Pistium manibus collectum excipiebatur. Atque hæc, inquit Aridus, sunt illa præmia, pro quibus cursura depugnandum est. Viden illud primum ex lanea veste purpureum? pro eo Apochichiri curriculo current, quam maxime possint, ut vincant. sunt autem Apochichiri genus hominum, religione à nobis diffidentium, sed callidum, versutum, fraudulentum, sacrilegum, perjurum; iis palmarium est, aliquem ex nobis in fraudem illicere; & quo die id illis contigit minus, se diem perdidisse conqueruntur. eorum opera in mercatura vertitur, sed levium ac tenuissimarum rerum; videlicet sulphurata permutant vitro, detrita vestimenta coëmunt, atque adeo sarciunt lepideque concinnant, ut non eadem esse dicas; ita ignorantur; quamobrem, si cui ex nobis pro novis possint obtrudere, non dimittunt tempus, sed foro, ut ajunt, utuntur; præterea, pignoribus acceptis, argentum fœnori tradunt: sed nobis sunt vectigales, ac sumtibus, qui in his præmiis fiunt, res eorum, magna ex parte, suppeditat. Videtisne illud alterum lutei coloris, ex serico ac tenui aurea lamina textum? id dandū est equo, vel equæ, quæ socias in cursu præterierit. hoc aliis præmium paucis ante annis accessit, (nam antea decem tantum numerabantur,) ob insignem additam huic imperio provinciam. illud Damascenæ vestis viride pueros, illud autem luteum juvenes, ad laudis gloriæque certamen accendit. ac, ne qua ætas præterita esse videatur, illa senum, spectata satis, donataque jam rude virtus, ea, quam quinto loco præferri videtis, lanea sed cocco imbuta veste, revocatur in cursum. sextam holoserici villosi ac purpurei vestem, victor equus accipiet. alteram, ex numero præmiorum septimam, holoserici item villosi vestem, sed violaceam, equa auferet, quæ prior metam attigerit. Sequebatur preciosius ceteris præmium, Attalica nimirum vestis, nobilium animalium pelliculis subsuta, cujus ego splendore ac pulchritudine captus, Cedo, inquam, Aride, cuinam hæc tam

insignis palma proponitur? Illi, ait, barbaro equo, qui victor eorum, qui usque ex Barbaria huc ad ludos confluxerunt, præconis voce citabitur. Tum ego, Pape, inquam, quanta vis præmii! profecto, equi dominum, laborum quos itineris causa suscepit, non pœnitebit. Sed illud album, ex serico, ac tenui argenti lamina conflatum, quosnam vocat in cursum? Equas, ait, equosque, tum nostros, tum barbaros: nam mistim current. Quid illa, inquam, vestis lanea atque cærulea, cuinam decernitur? Asinorum velocissimo. Quid audio? inquit Paulus Æmilius; etiamne asini in hoc certamen vocantur? nimium quidem hos ludos spectare velim. At, ne mireris, subdidit Aridus, bubalis quoque sua præmia servantur. nam lanea illa vestis atque coccinea, quæ postremum inter præmia locum ac numerum obtinet, bubalo dabitur, qui datum sibi spacium prior ceteris decucurrerit. Sed postquam spectando satis oculos pavimus, atq; animum saturavimus; ecce tibi, redit à rure Gallonius, fessus, anhelans, ac plenus pulveris atque sudoris, mala multa aucupibus, quot sunt, quot fuere, quotque futuri sunt, ingerens. at ubi Aridum aspexit, vocem continuit, atque iram omnem in tranquillo constituit. Ac, post mutuas salutationes & complexus, demum Aridus, magnas nobis gratias agens de prandio, quod sibi dederamus, abscessit. At Gallonius, qui mane, quo dynastæ sui imperiis obsequens esset, pene jejunus in agrum cum eo secesserat, sibi mensam parari mandavit; in quam, magna ex parte, eæ reliquiæ sunt illatæ, quas nobis deferendas tradendasque curaverat. non enim ita multum illis nocueramus. tum decem illæ avidis famelicisque pransoribus satis superque fuissent. Sed postquam quiete atque epulis est illi lassitudo famesque depulsa, in cœlum intuens, Magnas vobis, dii immortales, gratias ago habeoque, quod vestra præsertim ope auxilioque, dynastæ meo factum sit satis, grataque fuerint quæ fecerim omnia. quivis enim eorum arcuum lepide illi succedit sub manus. At, quid vos? subdidit; numne præmia ludorum, qui dandi sunt, oculis accepistis? Optime, inquam, vidimus; ac nisi Aridus affuisset, qui nos sigillatim de unaquaq; re docuit, magna parte voluptatis privati essemus. sed deo-

rum munere factum existimo, ut, cum tu abesses, ille veniret, seque quodammodo tui vicarium muneris constitueret. Si quid, inquit Gallonius, per Aridum bene vobis evenit, gaudeo, eique gratias habeo; sed futurum est posthac, ut nihil auxiliaria cujusquam opera indigeatis; ipse vobis ero rei uniuscujusque demonstrator atque interpres, neque uspiam à latere vestro discedam. sed in præsenti cubitum eamus censeo, ac languida, maris agitatione, membra quieti soporique tradamus. Vt fessos nos lectus excepit, confestim somnus occupavit, arcteque constrinxit; neque prius absolvit, quam mediam circiter noctem suavissimis psallentium vocibus pulsus est, cantuque symphoniæ. Nos rati, ita ut erat, eum è via cantum venire, è lecto desilimus, subuculam & thoracem raptim accipimus, induimus, fenestram aperimus, unde erat despectus in viam, ac plaustrum videmus, formosissima referens Tempe. etenim nemora, ambulacra, pomaria, signa, pergulæ, instar fornicum, dependentibus uvis onustæ, in tela, ante plaustri tabulatum obtenta, eo erant artificio depictæ, ut majoribus semper fornicibus minores succedentes, ac demum in unum angulum exeuntes, protractos in immensam fere longitudinem hortos oculis grato errore subjicerent: &, quod erat longe mirabile, pictæ res illæ, ab incluso intus igne illuminatæ, tantum leporis pulchritudinisque ducebant, ut non eas subsidere, sed extare ac prominere jurares; tantumque exinde luminis expressum coloribus cælum attrahebat, ut, non aliena vi, sed suis opibus, meridiana luce clarius elucescere affirmares. locus ante scenam, ad saltandum relictus, amœnissimo cuidam prato similimus, omni herbarum genere nitens, omni florum varietate distinctus, ver lepidissimum imitari videbatur. albebant ibi ligustra; variis sese coloribus violæ induebant; suos lilia calathos expandebant; sibimet ipsi narcissus hiabat; suam amaranthi purpuram nulla temporis injuria deficientem ostentabant; narcissi suorum inscripta regum nomina præferebant; plures ac plenas odoris linguas crocus exerebat; at præ ceteris rosa, virgineas imitata genas, sua late folia diffundebat. In hoc igitur tam amœnum ac lepidum pratum, anteaquam nos ad

fenestram accederemus, delapsa è cælo nubes ac bifariam conscissa, Apollinem cum cithara, ac Venerem cum Nymphis attulerat. quæ primum, ad citharæ cantum, saltationi se dedere; tum cœpere ita eleganter, ita concinne vocibus canere, ut non facile dixerim, ullius unquam vocis sonum suavius meos in sensus influxisse. His peractis, eadem qua delatæ fuerant nube, exceptæ abierunt ab oculis: ac eodem temporis momento elegans ille hortorum apparatus evanuit, atque eorum loco successere rupes, valles, ac nemora, unde Nymphæ, ad duodecim, lepido vestitu ornatæ, saltantes psallentesque prodierunt. ex altera vero parte, totidem Satyri eruperunt, tenues & agrestes calamos inflantes. quos simul ac Nymphæ conspexere, metu perculsæ, conatæ sunt ab illis se fuga subducere; sed demissis ac supplicibus vocibus exoratæ, ne fugerent, neu timore aliquo corriperentur; nullam enim eis vim ab ipsis instare, sed gaudia læta, sed festivissimas voluptates; nam venire, ut lætas secum choreas jungerent. Tum illæ, timore depulso, sistunt fugam, animos sumunt, dant manus; quibus lepido inter se nexu conjuncti, ad numerum, in gyrum eunt, ac varios atq; multiplices repetunt flexus. Sed postquam saltationi satis est datum, illi rursus calamos inflant: ad quorum cantum hilaris Nympharum chorus, tanquam Satyris illudens, rudes quasdam & inconditas modulari cantiunculas cœpit. Verum in medio cantu, sævi illi & immanes, abjectis calamis, ruptoque fœdere, illas miseras adoriuntur, tenent, amplexibus illigant. Illæ primo, dentibus, manibus, cubitis, genibus niti, se eorum amplexibus solvere, tum deorum atque hominum fidem implorare. postremo, cum hæc illis in irritum caderent, earum una, flebili ac suavi voce, deam ac dominam sylvarum Dianam exorat, ne alumnis suis ac sociis, extremo illo tempore, desit, sed quavis ratione, quibus vita odio esset, suppetias afferat. Atque hæc omnia, ad fidium cantum, quæ occulte latebant, agebantur. His dictis, rem miram vidisses, earum membra rigorem induere, corticis duritiem attrahere, digitos ac crines in ramos ac frondes abire, totas denique in arbores verti. Tum Satyri, rei novitate attoniti, ac spe sua decepti, tristes

ſtes, & illuſi, ac flebile quiddam canentes, ſeſe ſylvis immerſere. plauſtrum, cùm nihil eſſet amplius quod ſpectari poſſet, alio curſum arripuit. Nos mirabiliter delectati, lectum repetimus, redormimus, nec ante meridiem è lecto pedem efferimus. Quod Gallonii quidem factum eſt opera. nam, niſi excitatum nos adveniſſet, in plures etiam horas ſomnum produxiſſemus. Qui clamans, Imuſne, inquit, pranſum, annon? ubi libet, licet ire accubitum; nam accuratum eſt prandium; &; niſi properatis venire, córrumpitur. Nos, quota ſit hora, quærimus. Ille, jam jam meridiem, ait, appetere. At ignaviæ noſtræ pertæſos, nos è lecto præcipites agimus, veſtes ſumimus, induimus, ad menſam accurrimus, accumbimus, prandemus. à prandio, nihil fuit antiquius, quam oppidum totum perreptare. etenim redundabat hilaritate & joco. nulla erat domus, in qua, aut non agitaretur convivium, aut convivales ludi non celebrarentur, aut mimi non darentur, aut ſaltem, quæ fidium vocumque cantibus non perſonaret. ubi vero nox terras opacavit, pluribus urbis locis ignes, ad lætitiam ſignificandam, incenſi, binæ vel ternæ ſingulis feneſtris lucernæ, croceis, albis, roſeis, ac cœruleis velaminibus incluſæ, & colorum varietate oculos paſcebant, & circumfuſas undique tenebras ſua luce pellebant. At ſumma in primis voluptate igneus nos turbo, ut vocant, affecit. etenim, ex ſummo arcis faſtigio, ea crepitantium ignium, crinitarum ſtellarum inſtar habentium, erumpens, ita late ſeſe diffudit, ut primum tota cæli regio, igne concepto flagrare, tum ignium eorum materia, ſua deorſum ſponte tendente, evulſa ex ſuis ſedibus ſidera ruere, atque in præceps ferri viderentur. Sed, dum tantarum rerum ſtudio capti, & ad ingentem admirationem traducti, ſtupentibus ſimiles hæremus, Gallonius à quodam, qui ad ſpectaculum convenerat, invitatus eſt, atque adeo attractus ad cœnam. nam cum ſæpius, Bene vocas, dixiſſet, jam gratia eſt; tandem victus, Cum hac, inquit, condicione veniam, ſi ſit futurus iſtis hoſpitibus meis locus, à quibus non poſſum eſſe ſejunctus. Quippeni? ait ille. etenim, ne ſis neſcius, ita largiter atque ample obſonavit meus coquus, ut, quod obſonatum eſt,

præter eos, quos invitavi, non modo duobus, sed pluribus etiam umbris, futurum sit satis. Ne multa, promittimus, ad condictam horam accedimus, venimus in ædes, modicas quidem, sed in regium morem excultas, ibique exornatum ample magnificeque convivium offendimus; & quoniam jam ceteri convivæ convenerant, soleas deponimus, lectos inscendimus, accumbimus, cœnam inimus, eo ciborum nidore, ut milvinam suggereret, ea magnificentia sumptuque, ut (præsertim, quia nullæ ibi fœminæ aderant,) non amicorum convivium, sed Herculanum sacrificium referre videretur. quæ ciborum varietas, lauticia, magnificentia, causa potissimum fuit, ut convivium in multam noctem protraheretur. quo demum expleto, cœptum est, ludis, jocis, atque aliis animi remissionibus initium dari. & primum, rogatus est, voce ad citharam canere, quidam qui ex ore, quod erat glabrum, puer videbatur. hic erat eunuchus, cantandi artificio, magis ibi notus ac celebris, quam ullus apud nos Tigellius aut Hermogenes; qui exilio patriam sedem commutaverat, metuens legum judiciorumque severitatem, quod mulierem, cujus erat cupiens, per vim à viro abduxisset. at ubi ejus suavitatem vocis aures nostræ admisere, parum absuit, quin animo linqueremur. non enim alias tanta ex cujusquam cantu voluptas in animum influxerat. equidem, Linum, Amphionem, Orpheum, neque doctius cantasse, neque acrius sensus hominum, voluptate, impulisse crediderim. ita vocem modo molliter delicateque flectebat, modo graviter ac severe mittebat, modo eandem ab acutissimo usque ad gravissimum sonum recipiebat, & quasi quodammodo colligebat, ut non mortalem aliquem, in illud convivium exceptum, sed unam ex illis beatissimis mentibus, cantatum provocatam è cælo jurasses; præsertim cum Virgilianos eos versus pronunciabat, quibus Dido cum Ænea, læsam ab eo fidem, expostulat,

Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas, tacitusque mea decedere terra?

cum reliquis; quibus versibus Aristoxenus quidam musicus modos fecerat. nemo enim fuit tam asper ac durus,

durus, qui posset lacrimas cohibere. neque, si totam illam noctem induxisset animum cantare, erat ei verendum, ne nos fastidio & satietate defatigatos à sese abalienaret. verum, quia aliis etiam animi oblectamentis illud erat tempus impertiendum, suis ipse cantionibus finem modumque constituit, & una cum aliis oneravit se lætitia & hilaritate. At illud in primis ludi genus omnibus placuit, in quo, proposita ludicra aliqua materia, à ludi magistro singuli per orbem interrogantur, &, si quis vel nihil vel inepte responderit, statim capitur ab eo pignus, vel annuli, vel clavis, vel sudarii, vel sagi, vel etiam pallii: quæ pignora postea dividuntur inter præsentes, ut restituantur iis, unde sunt capta; ea tamen lege, ut si ea recuperare sit in animo, imperata perficiant. verum nihil imperari solet, nisi jucundum atque honestum. quamobrem, si ille, unde ablatum est pignus, canendi artem norit, jubetur vel voce vel fidibus canere; vel, si sciat versus facere, cogitur epigramma, vel odam, vel distichon fundere; vel, si saltare didicerit, coram omnibus saltare præcipitur. Plura sunt, ab acutis & ingeniosis illis hominibus, in hoc ludi genere, eleganter inventa; quorum unum, qui me in primis delectavit, hic exempli gratia subjiciam. Fingamus, inquit cœnæ magister, vos omnes peregre domum revertisse, atque in itinere, ut fit, ad cauponem divertisse; rogabo igitur singulatim unumquemque vestrum, ut cauponis primum nomen ad quem divertit, tum tabernæ ejusdem signum, deinde primum ferculum, tum pultem, postea elixum, & assum, deinde vinum, postremo ultimum ferculum sibi antepositum tanquam cœnæ epilogum, narret, ita tamen, ut harum omnium rerum vocabula, ab una eademque littera incipiant & quoties quisque in litteræ immutatione labetur, toties ab eo pignus auferatur. ac, ne sit liberum cuique, quam velit sibi litteram sumere, numerus & ordo sedentium, litterarum etiam ordinem numerumque conservet, ut primus sit A, secundus B, tertius C, atque ita deinceps reliqui omnes. At Gallonius, qui erat proximus à tertio, primum sine ulla dubitatione respondit, cauponi suo nomen fuisse Ballioni, signi loco Bulbum, tum sibi, pro

primo

primo ferculo Boletos, pro pulte Brassicam, Betam, Blitũ apposita, pro obsonio Bubulam carnem datam, tum elixam, tum assam, pro potione vinum Bœotum; postremo, cũ nullum subveniret ultimi nomen, à littera B incipiens, risus est commotus, omnesque hilari voce clamare, Hæres, captus es, da pignus: ille paululum rubore suffusus, manus dat, ac detractum ex digito annulum tradit. Hoc ludi genere, eo modo atque ordine quem deformavimus, transacto, constitutum est præmium illi, qui in referenda inepti cujuspiam in dictis factisve stoliditate, atque stupore, ceteris acumine ingenioque præstiterit. ac multa quidem à multis fuere in medium allata: sed ego pauca tantum referam, quæ memini magis. Scriptor quidam, inquit unus, cui magnum est in historicis nomen, in referendis Regni cujusdam nominibus, scriptum reliquit, Vrbem, Lita nomine, hostili manu fuisse deletam, atque inde, quidquid erat preciosi vel pulchri, ablatum: solum flumen, quod urbem interfluebat, hostibus sanctum fuisse, ac ne digito quidem à quoquam attactum: tanquam si possent flumina subripi, ac subrepta in bulgas vel in vidulum condi. Scriptor alter, inquit alius, proditum memoriæ ac litteris tradidit, barbaros olim Regnum Carnotis invasisse, ac, pulsis habitatoribus, occupatum, per annos fere quingentos obtinuisse: quod ubi eorum, qui pulsi fuerant, progenies rescivit, confestim properasse, amissam patriam, armis, recipere, & egregia aliqua pugna, collapsam atque jacentem majorum suorum gloriam famamque sarcire. Hic totus ille cœtus in magnum repente risum effusus est, ac, Tanta, inquit, accepta clades nonne celerius, quam post quingentos annos, potuit ad posterorum aures pervenire? Accipite, inquit alius, medici plane singularis non minorem in dictis scriptisque stuporem. Scripsit hic, buglossam, similem peponis odorem efflare, tum pisces nostri ævi, sive maris sive fluminum, tum salubritate tum sapore, deteriores esse superiorum temporum piscibus. Sed ex omnibus, quæ dicta sunt ridicule stulta, illi, omnium concessu, palma delata est, de quo Offuscatus academicus commemoravit; qui, Cum, inquit, proximo superiore anno, contra rem meam judicatum fuisset injuste,

juste, ac propterea ex animi dolore pene conficerer, memini, me, fasto quodam die, in buleuterium contulisse, quo aliqua ex parte eam mihi molestiam, si fieri posset, adimerem. neque illud mihi consilium infeliciter cessit. ea namque ibi voluptas objecta est, quæ litis amissæ dolorem multo leviorem efficeret. etenim illuc commodum veni, cum jam Poliarchi juri dicundo operam dedissent, ac Pomariis ob eorum malitiam vehementer infensi, de tribunali descenderent. Itaque iis placuit, senatores aliquot, qui aderant, in consilium advocare, in quo ego quoque sum coactus adesse, quem, paucis diebus ante, invitum ac repugnantem in senatum adlegerant. quibus convocatis, Poliarchus natu maximus, Pomariorum astutias atque malitias exponit; consulit, quid agendum, quænam ratio ineunda, qua eorum fraudibus occurratur, & simul in eos aliquid, exempli gratia, statuatur. At quænam erit hæc ratio? inquit alius; mihi quidem non venit in mentem, quod placeat. nam, si eorum mercibus precium statuerimus, continuo eorum pleriqne, potentiorum hominum, quibus serviunt, gratia, vel etiam pecunia, impetrabunt, ne lege illa teneantur. itaque nullus in hac ratione fructus est, omnis in ea opera luditur. Inveniendus est, inquit alius, dolus aliquis, qui dolosis contra paretur, unde sese expediendi rationem invenire non ita facile possint. Iam jam arbitror me invenisse, ait unus, qui sæpius Poliarchi functus erat munere, quique, juris scientia, rerum usu, atque omni genere prudentiæ, ceteris præstare existimabatur. Summa erat omnium expectatio; neque minus ejus ab ore pendebant, quam si Milesius Thales, aut aliquis alius ex illis septem esset dicturus. Atque, Inveni, inquit, rationem, qua vafris illis ac veteratoribus, ad legis jugum excutiendum, nihil sit in potentiorum gratia præsidii. Tum illi multo magis ædes aurium vacuas efficiunt. Qui cum aliquantulum excreasset, muccis nares exonerasset, barbam permulsisset, Ego, ait, quo isti condignas suis sceleribus pœnas luant, edictum secretum ferendum censeo. ita enim plures annabunt thunni, quam volumus: etenim contra eam legem venire non dubitabunt, quam non noverunt: itaq; manifestis crimi-

nibus evicti, priusquam patronorum fidem implorandi spacium habeant, pœnas Reip. graves justasque persolvent. Iam paratus eram, illi pro hoc tam gravi prudentique sententia, loco plausus, cachinnos dare, cum eos sibi præripuit alius qui aderat in concilio, non minus, quam ille, bovis corio magis circumtectus quam suo; qui continuo exclamavit, Euge, bene, lepide, laudo commentum tuum. His actis, quoniam id diei tempus erat, dimissum est concilium; neque quidquam decretum. Postquam Offuscatus quievit, consecutus est omnium risus; ac nemo fuit ex numero, quem non cupiditas ingens incesserit cognoscendi, quisnam ille esset, & quo nomine vocaretur, in quem tanta sapientia caderet. Sed Offuscatus parcendum hominis dignitati existimavit, nomenque reticuit. Nos cum jam cælum illucesceret, domino domus gratiis actis, domum nostram cubitum ivimus, somnoque, cujus eramus maxime indigentes, indulsimus. Sed postquam illum omnem sepelivimus, de lecto pedem deduximus; & in alterum intulimus, ubi corporis vires, ad mensam uberem, esca atque potione reficeremus: sed tantum inde desumsimus, quod esset ipsi naturæ & necessitati satis. tum aliquanto post deducti sumus in stadium seu in viam, in qua ludi dabantur; quæ via non erat brevis curriculo, sed mille ac quingentis circiter passibus in longitudinem patebat. licebat ibi cernere ædium fenestras, stragulis, sericis, aureisque vestibus ornatas, ac formosissimas in eis mulieres, regalis magnificentiæ cultu indutas, quæ magis spectaculo erant, quam ludi, qui fiebant: atque tanta ibi erat copia venustatum, ut, tanquam si cœna aliqua dubia esset apposita, dubitares, quo te potissimum verteres. itaque omnes amabilitati animum adjiciebant, omnes oculis epulas dabant. in has olim mulieres aliosque licebat ovorum putamina jacere, referta aquis varii generis odoratis: sed prætor peregrinus, quoniam ipsi olim, in ejusmodi ludis oculus, ovo ictus, pene ex sua sede decesserat, vetuerat edicto, ne quis ea venderet, haberet, jaceret; tantum permittebat, ut ovorum loco, coriandra, amygdala, nuces avellanæ, saccaro conditæ tectæque, mitterentur. itaque magna horum copia ad mulieres

res commeabat. omnium generis hominum, personatorum præsertim, tantus erat numerus, ut vix transeuntibus aditus pateret. & in primis, ubi quidam, vetulæ incurvæ, tremulæ, capularis habitu ac persona vestitus, arã Apollini sacram occupaverat, circum lictores aderant, expectantes dum surgeret, aramq; desereret, quo abeuntem comprehenderent, vincirent, & in carcerem conderent: quin etiam minitabantur, nisi aram occupare desineret, se jussuros ignem & sarmenta circumdari: sed nihil promovebant. nam tanto ille aram obsidebat magis. inter populi clamores exibilationesque, illæ identidem voces exaudiebantur, I lictor, colliga manus; atque illa cruciatus carmina sæpius repetebantur, Caput obnubito, arbori infelici suspendito. Hic, ut dici audivimus, cum auditione vel oculis accepisset, anum quandam domi suæ minas triginta in arca clausas habere, dum illa aberat, adulterina clavi, domus fores illius aperuerat, arcam effregerat, & quo nulla vicinis suspicio oriretur, argentum surreptum, una cum aliis quibusdam rebus preciosis, in scapulas conjecerat, & suprà vetulæ ejusdem vestem induerat, & colum lateteri applicuerat, orique vetulæ personam domo allatam addiderat: quo fiebat, ut unus gibberæ personam referret. vicini, exeuntem arbitrati sunt esse aliquem aniculæ vel amicum, vel cognatum, vel affinem, qui eum ab ipsa ornatum utendum accepisset, neque præterea quidquam exquirendum. sed vix ille è limine pedem extulerat, cum anus revertitur, ac fores apertas offendit, statim suspicata est id quod erat, sibi manum fuisse aditã, de argento; tum muliebri supellectili non parcere; hoc est, clamare, vociferari, deum hominumque fidem exposcere. vicini, nihil esse loci clamoribus, dicere, sed esse opus celeritate: nam si pedibus non parceret, se facile consecuturam personatum furem, anili habitu. non moratur illa, sed flens, ac totidem sibi liberos, quot minas, periisse clamans, per compita, basilicas, ac fora omnia discurrit. sed fortuna eam adjuvit; nam furem consecuta est, quem ex sua ipsius veste coluque cognovit. Hic licuit animadvertere, quanta conscientiæ vis sit. nam cum posset dissimulare, se eum esse qui erat, cum facile

possec

posset aliqua, evolare, ac turbæ sese subducere, nihil horum fecit, sed in aram confugit, suoque se indicio, tanquam sorex, prodidit. Eodem pene momento lictores adfuerunt: nos; à turba pene oppressi, ægre obtinuimus, summa totius corporis contentione, ut inde elaberemur. verum duobus vel tribus aliis spaciis factis, ne cuiquam molestiam objiceremus, locum in meritorio spectaculo mercede conducimus. sed vix suggestum illud conscenderamus, cum cœpit illac ejus diei pompa transire, hoc ordine. primum, ridiculas inter effigies, ut etiam Romæ in ludis mos est, manducus efferebatur, magnis malis; late dehiscens, & ingentem dentibus strepitum edens; deinde, post lictorum pedestrem turbam, duces eorum ibant in equis; hos itidem pedibus Apochichirorum primi subsequebantur, vestibus sumptuosis induti, redimiculis aureis præcincti, ac pluribus ex suis, virides olearum ramos gestantibus, stipati: tum, ante præmium; de quo erat eo die certandum, tympanotribæ tredecim, ac tibicines sex, hilari cælum strepitu sonituque complebant: porro sese in conspectum dabat Pistium turba, scipionibus viridi colore depictis innixa; deinceps, post duos ephebos, in equis sedentes, quorum alter ligneum sceptrum, districtum alter præferebat acinacem: equitabat Prætor uterque, peregrinus & urbanus, medius inter Poliarchos; sed peregrinus trabea candida, ac niveis ad frena ministris utebatur; urbanus in veste aurea, ad talos usque demissa, nitebat: postremo varii ac multiplicis generis judices, tabelliones, scribæ, pompam claudebant. Eo die, præter multitudinem personatorum, ut diximus, nihil fere, quod admirationem commoveret, aspeximus. Erant grallatores multi, qui, itidem personati, grallis ita longis impositi, ut propemodum manibus ædium fenestras attingerent. Vidimus etiam aliquot, quibus tibialia ac femoralia, ex purpura, ita membris apta hærebant, ut crassitudinem eorum non excederent; quibusque, tum ante tum retro, per foramina ad id facta, subucularum oræ defluebant. hi, tum manibus, tum pedibus, per parietes ædium, cochlearum ritu repebant, ac paulatim ad summum, admirabili dexteritate, egrediebantur. Sed cum pene jam tenebræ orirentur, nosque

nosque jam, expectando defessi, de profectione cogitaremus, ex improviso, populi clamor exoritur, lictorum interminantium edictiones excipiuntur, Ite, decedite, fugite, en veniunt, adsunt. Respicimus, ac duos videmus, detractis omnibus vestibus nudos, ex æquo, currendi celeritate, contendere, ac ne digitum quidem alterum alteri præcurrere, quamquam uterque socium supplantare, manuque depellere niteretur. His alii quatuor proximi accedebant, sed longo intervallo proximi, ita ut jam de palma desperarent. Sed, qui fuit in eo curriculo postremus, risus nobis mire commovit. etenim, cũ palmam jam primus accepisset, ita lente ociosequе suum cursum prosequebatur, ut si non celerrimus ac velocissimus quisque, sed ceteris segnior ac tardior, præmio esset afficiendus. Hunc jure omnes clamoribus, sibilis, dictisq; excipiebant. quibus ille victus tandem, currendi sententia destitit, ac, lapides metuens, in proximam amici cujusdam sui domum sese recepit. Itaque, cum nihil jam reliquum esset, quod præterea aspiceremus, una cum aliis discessimus. In redeundo accepimus ex eo, qui ipse vidisset, furem illum tam elegantem, è lictorum manibus elapsum, à periculo tutum esse. quomodò id factum sit, quærimus. Postquam, ait, diu aræ obsessor extiterat, lictores, quorum ille custodiis asservabatur, discesserunt; quod deberent, ad ludos ejus diei, prætoribus præsto esse. tum paulatim turba dilapsa, hac illac sese diffudit; quamobrem ille cum paucis aniculaque relinquitur, quæ, Hecuba in canem conversa latrare luctu filiorum videbatur. at fur, quo illum vomitum absolveret, simulque, dum sibi occasio tempusque daretur, se cruci surriperet, solvit zonam, qua erat præcinctus, atque argento eisque, quæ in scapulis gibbum simulabant, decurrendi ad terram aditum fecit; quæ deinde sumpta, vetulæ in os impegit, una cum colo ac veste; ac pedibus salutem suam commisit. illa, argento recuperato, cujus heredem nunquam post eum diem se esse futuram arbitrata erat, domum hilari solutoque animo rediit. fur vero, cum, amissa præda, ad portam urbis proximam pergeret, incidit in equum, quem chirurgus arbori, cuidam ægro vomicam secaturus, habenis religaverat, ac

mulierculis, ibi ſtamen nentibus, commendaverat; hunc ille interritus ſolvit, conſcendit. mulieres, quid ad ſe equus ille pertineat, rogant. fur, imperatum ſibi à domino ait, ut ad Iſidis ædem proximam cum eo ſe conferat; mox enim ibi eum adfuturum, ut uni ex Iſiacis illis crus obliget. mulieres credunt, quieſcunt, moleſtæ non ſunt. at fur æditum, qui pro æde Iſidis ſtabat, orat, ut, ſi dominus quæſitum ſe veniat, dicat, equum ad Nympharum portam aquatum eſſe perductum; proinde, vel expectaret dum rediret, vel ſi nollet, eo ſeſe conferret. verum furcifer, contra quam dixerat, extra portam Collinam, qua itur ad loca hujus inſulæ mediterranea maxime, fugam arripuerat. non ita multo poſt chirurgus revertitur: nam, morbo inſpecto, vomicam immaturam deprehenderat, ac proinde nondum ferro tentandam cenſuerat, ne plus exhiberet negocii: atque equum non videt. quærit de mulieribus, quid eo factum ſit. reſpondent, à quodam, qui ſuum ſe eſſe ſervum diceret, ad Iſidis ædem fuiſſe perductum. accurrit ille, atque æditum, qui etiam tum pro foribus templi manebat, interrogat, num equum vidiſſet. Quidni, inquit, viderim? quin ſervus etiam tuus, qui in eo ſedebat, mihi mandavit, ut tantiſper hic te retinerem, dum à porta Nympharum, quo aquatum eum perduxerat, reverteretur, vel, ſi malles, eo tu ipſe contenderes. Chirurgus, aliquid ſuſpicans fraudis, ad portam advolat, ac neque equum neque equitem videt. percontatur janitorem, ſi equus quiſquam eo veniſſet. qui veniſſe reſpondit; ſed qui eum vehebat, nulla mora interjecta, ſuum iter proſecutum eſſe; ſe quidem exiſtimare, extra portam Collinam egreſſum. Chirurgus, quod eſſet ventrioſus, & calor ſummus, & quod occiſam hanc rem exiſtimaret, furis inſequendi pauſam fecit. ſumma denique huc rediit, ut, qui eques domo diſceſſerat, pedes, ac pulveris & ſudoris plenus, reverteretur. Poſtridie fuit nobis auctor Gallonius, ut perſonas indueremus, & qua luberet, perſonati vagaremur: ita enim fore, ut illam in eodem loco manendi moleſtiam effugeremus, & quicquid ubique, oculorum aut aurium ſenſum, pulchritudine aut ſuavitate, commoveret, ocioſe, & quantum libitum

esset, hauriremus. atque, eadem opera, equos nobis, ex dynastæ sui stabulis eductos, ac pulchre phaleratos, attribuit. quibus conscensis, una cum eo, qui in alio item equo personatus hærebat, passim vagari jucunde ac suaviter cœpimus, multa, oculis atque auribus, voluptatum genera varietatesque collegimus: sed nulla nos voluptas eâ magis affecit, quam ex ludrico quodam armorum spectaculo cepimus; quo non facile quidquam dixerim me vidisse in vita magnificentius atque venustius. Equitum enim turmæ, consimili vestitu, ac supra quam dici potest sumptuoso atque amœno, in equis, eodem quo ipsi ornatu atque colore, phaleratis sedentes, primum equos scite lepideque tractare, in gyrum ducere, ad symphoniæ cantum cogere saltationes inire; quæ etiam gratius ac jucundius ad aures oculosque veniebant, ex crepitaculorum sonitu, quorum ingens numerus, ex auro in laminis argenteis scite eleganterq; illigatus, equorum pedibus & collis hærebat, atque ex variis plumarum generibus, tum equitum galeis, tum equorum capitibus, additis. deinde, postquam satis sunt in hac lepida equorum tractatione versati, cœpere se invicem, districtis acinacis, petendo insectandoque simulacrum equestris prælii referre, postremo, sumptis velitaribus, hastis, citatis eas in ligneam hominis effigiem equis dirigere, comminuereque. Multa etiam salsa atque ridicula jacta sunt in plures, à personatis, quibus, inveterata licentia, passim vagantibus, jus est omnia dicere. Quidam, bajuli indutus persona atque habitu, cui scapulæ paulo altius prominebant atque extabant, adeo ut fidium quarundam speciem efficerent, rogatus est à quodam, quanti fides illas venderet. cui ex tempore, Vide, inquit, primum, num sonus tibi probetur. ac tollens aliquanto altius pedem, ingentem crepitum edidit. Erat gladiarii cujusdam filius, ob insignem corporis pulchritudinem, ut fit, fama minus commoda, ac secunda. hunc cum quidam de grege illo mimorum ab homine noto rheda sublatum circumduci vidisset, O pulchelle, inquit, puer, strenue, fortis; nunquam pater tibi tuus gratiam referet: non enim tam multos ille gladios potest efficere, quam multas tu illi vaginas concinnas, ac tradis. Interim

rim præmium, ea pompa, qua pridie illud alterum delatum fuerat, circumfertur; nisi quod Apochichiri eorumque primi non aderant: nihil enim reliqua ad eos præmia pertinebant. circumductæ sunt etiam equæ equive, tum ejus regionis tum barbari, quibus mixtim, ob novam provinciam illi Imperio adjunctam, decurrendum erat; quo videlicet spacium illud, atque hominum multitudinem, perhorrescerent minus; & ut quodammodo se ad cursuram meditarentur, ad ludos. nullum erat eis ephippium, quo expeditiores essent ad cursum: pueri, tenui vestitu, nec, laxitate, corporis crassitudinem excedente, eos frenis regebant, & calcaribus incitabant. quidam eorum sessoris officium nihil morabantur, quippe quibus ænei orbiculi, loris, ad utrunque latus adductis, appensi, instar calcarium erant: sed multo magis naturalis quædam alacritas animum inflammabat ad cursum. At si ludos, inquit Gallonius, spectare lepidissimos vultis, eo accedatis oportet, aut ubi curriculum istud oritur, aut ubi occidit, utroque enim in loco voluptas maxima capitur. Placuit consilium; ac primum eò iter tendimus, ubi cursus inchoatur. ibi licuit oculis aspicere, quod antea fama & auditione acceperam; videlicet, inesse equis intellectum adhortationis, pugnæ, & gloriæ. etenim non antea se commovere, quam signum tuba daretur, arduæ cervicis flexu hilaritatem significare, hinnitu laudibus ac plausibus inhiare, ingenito ardore ac robore feroces victoriam corde concipere, signo dato; tum protinus in pedes sese cuncti conjicere, ad cursuram dare, oculis spectantium eripere, ad palmam contendere, ea vi ac celeritate, ut, si aliud nihil spectasses, non equas, non equos, sed aves, sed ventos in cursu esse jurasses. Personabant omnia faustis acclamantiũ vocibus, ardebat uniuscujusque cupiditas pernoscendi, cuinam ejus certaminis palma contingeret; atque prout cujusque studium ex amicitia vel ex naturali quadam animi propensione flagrabat, alius alii victoriam destinabat. Vix è carceribus prodierant, cum ad calces eos pervenisse cognoscimus. nam inde nuncius manavit, Ianiculi equum ceteris superiorem in cursu fuisse. empti, qui ultro citroque commeantes, magna voce, Ianiculi nomen

pro-

pronunciarent, celebrarent, efferrent; qui vitam illi, felicitatem, & fausta omnia deprecarentur. Quærimus à propinquis, quidnam hominis sit iste Ianiculus. respondent, eum esse professione lanium, cunctis, qui lanienam facerent, pecunia ac pecudum numero facile principem: hujus equos celeritate cursuque ceteris superiores haberi, ac fere nunquam nisi victores domum reverti. itaque ille his præmiis omnes habet arcas, omnia armaria referta, quæ interdum, gloriæ & ostentationis causa, palam omnibus ad visendum exponit. nec mirum: nam antea soli, qui erant genere, splendore, ac nobilitate, omnium primi, suos in hæc certamina equos submittebant; nunc verò non eo animo equos alunt, ut eos ad saltandum, vel ad currendum edoceant, sed ut rhedæ jungant, qua vel per urbem, vel in agrum, placide vecti ferantur. quamobrem jam tota res hæc rediit ad muliones, lanios, opiliones, vel ad unum aut alterum nosocomium, quod rem pecuariam facit: sed laniorum in primis equi ceteris ad hunc usum præstare existimantur, quod fere quotidie ad cursuram exerceantur, dum illi vaccam vel bovem, ex bovili fugientem, equis delati, sectantur ac retrahunt. Nos eo die spectaculis expleti saturatique discessimus. postero die, cum nulli ejusmodi agones ederentur, magna ex parte me domi continui, & Aristidi, sicut antea discessurus promiseram, litteras dedi. argumentum ex quodam sermone desumpsi, quem paulo ante meum discessum cum illo habueram, cum meam vicem dolerem, ac quererer, quod, fortunis pene omnibus amissis, patria domoque carerem, ille vero sanctissimis suis præceptis ac monitis mihi persuadere conaretur, nihil esse mali præter culpam, & unicuique ibi patriam esse ubi ille modeste, temperanter, ac rationi congruenter ævum agitet. Itaque, quò me ad ejus consilia vitam moresque formasse probarem, in hæc plane verba ad eum litteras scripsi.

Flavius Vopiscus Niger Aristidi salutem.

NOn bene fortunam dixi fœdamque trucemque
Semper se nostris opponere fortiter ausis:
Non bene, quod, diis iratis, in luminis auras
Me matris genitum infelix eduxerit alvus.
Culpa quisque sua superos sibi sentit iniquos,
Dum pravum ingenium, ac vitiis deforme, recusat
Ad quas praescribit ratio componere leges.
Quod si consiliis patientem accommodet aurem,
Inveniet faciles atque experietur amicos,
Quos sibi non aequos, lacrimis ploravit obortis.
Cui domina est ratio, sapiens censebitur idem.
Vir sapiens, in se totus teres atque rotundus,
Sat propria virtute ferox, se conspicit unum,
Humana intrepido contemnens omnia vultu.
His sibi nulla foris trepidis solatia rebus
Advocat, invictus, cunctis praestantior ipse.
Hic, veluti scopulus, fortunae fluctibus atris
Tunditur incassum. nam quis convellere tentet
Virtutis valido formatum robore pectus?
Quod fortunati sano si judice nomen
Vindicat ille sibi, pulsis qui pectore curis
Nec dulcis lucri capitur nec honoris amore,
Quid prohibet fieri me ex omni parte beatum,
Si nulla accedat menti male sana cupido,
Et summa victrix ratio dominetur in arce?
Ipsi iter ad lepidae praecludimus ociavitae,
Dum placet alterius nimium sors, nostraque sordet,
Nobis nec finis quaerendi poscitur ullus.
Si bene te novi, famam nomenque beati
Vel tibi, vel dederim nulli; cui sufficit omne
Quod Deus & ratio tribuit, nec sidera tundis,
Scilicet ut Tyrio niteas spectandus in ostro,
Vel nova possessis jungantur pascua campis,
Vel fiat voti mentis sententia compos,
Sed Iovis assiduus sacra versaris in aede,
Divum virtutes meditans, & totus in illis.
At decursa licet seclis properantibus aetas,

Mul-

Multarumque simul vetus experientia rerum,
Me satis illusum studia ad meliora remittant;
Æquam perpetuo mentem mihi sedulus ora,
Et si quid dixi paulo commotior, auris
Vel da, vel memori fac sis decedere mente.

His litteris scriptis, obsignatis, & tabellario traditis, cum jam ultima diei pars recederet, ac prima noctis accederet, deducti sumus à Gallonio in ædes cujusdam, Oro nomine, ut ibi cœnaremus. nam pridie ipse & amici aliquot coierant, in eam noctem, ut de symbolis essent. at nos asymboli venimus, quod Gallonius ære dato, ut immunes ad eum numerum adscriberemur, effecerat. nunquam ædepol nobis fere melius, quod memini, fuit; ita nitide fuimus accepti. neque mirum; nam, ut postea dicere audivimus, ille erat architriclinus, solus præter alios: nam ex omnibus, qui profitebantur se esse cœnarum artifices, nemo erat, qui minore dispendio convivas melius nitidiusque curaret. Iam cœnam illam ad umbilicum dimidiatam in ventrem abstuleramus, cum architriclino nunciatur, ut prodiret: nam Poliarchos stare ad januam, qui eum magnopere evocarent. surrexit ille, ac prodiit. reversus, Scitis, inquit, quanam de causa Poliarchi tantopere me conventum esse cuperent? cras publice dandum est ab illis prandium duobus Prætoribus, peregrino & urbano, in buleuterio; sed quoniam, his diebus, liberalius quam par erat obsonando, ac plures invitando, pecuniam, ad menstruales epulas datam, totam effuderant, ad civium misericordiam confugerunt, ac per magistros curiarum, locupletissimum quemque rogarunt, ut ad prandium conferrent: sed cum tantam pecuniam conficere non potuerint, quæ sufficiat ad instruendum exornandumque, pro hominum dignitate, convivium, currunt ad me, quem sæpius sunt experti, modico sumptu solere amplam atque magnificam, in speciem, mensam extruere; atque orant, obsecrant, ut iis, tam calamitoso tempore, opitulatum adveniam, ac se, buleuterium, ac populi istius nomen, ex summa infamia eripiam. Rogavit Gallonius, quotnam ad eum Poliarchi venissent; nam unius tantum

tum vocem se esse visum audire. Cui, Omnes ad me, inquit architriclinus, mihi supplicatum adierunt; sed ille tantum verba fecit, qui ceteris auctoritate & generis splendore antecedit. nam, cum ex tribus istis Poliarchis unus sutorem, alter lapicidam patrem habuerit, solus hic est generis sui antiquitatem, usque ab avo, abavo, tritavo, proferens; quamobrem, ubi ille adest, ceteri mutire non audent. sed superioribus annis res accidit, quæ totam nobilitatis suæ causam jugulavit; sed quia eam à nobis ignorari arbitratur, pergit adhuc, vana isthac nobilitatis jactatione, ferocem facere ac se aliis præponere. Quo tempore hæc urbs à Regis Geryonis exercitu direptione ferroque vastabatur, quidam primipili centurio à quodam lanio, qui apud Martis ædem, in foro Trullæ, lanienam faciebat, minas quadraginta, metu mortis injecto, detraxit: verum, morti jam proximus, ne is apud ejus animum scrupulus resideret, (credo, vera existimans ea, quæ de improborum apud inferos suppliciis, ac de inexorabilibus judicibus, Minoë ac Rhadamantho, memorantur,) imperavit suis, ut lanii illius heredibus minas quadraginta numerarent; eum autem dicebat lanium ante annos octuaginta vixisse. ac recte numerum annorum inibat: nam postquam hæc urbs à barbaris direpta est, annus ille agebatur octuagesimus. quod ubi viro huic nobili subolevit, nulla habita ratione majorum, de quorum nobilitate tantopere gloriabatur, quod putaret (ac vere fortasse) genus, sine re; vilius alga esse; venit ad eum, unde illud numerandum erat argentum, ac tabulis publicis aliisque probationibus planum fecit, se esse illius lanii nepotem; ac per hanc rationem quadraginta minis locupletior factus, ab eo discessit. His dictis, cœnaque completa, ille Poliarchis obsonatum proficiscitur; nos domum pulchre cœnati & appoti cubitum ivimus. Erat dies ille, quo apparandum erat ample magnificeque in Buleuterio Prætoribus prandium, dies celebris ac venustatis plenus: etenim nefas erat opificibus elaborare; quibus opera vita erat, in opus ire; mercatoribus tabernas aperire, sua mercimonia exponere: solum jus erat cauponibus, popinas, cauponas ac thermopolia, commessatū introire volentibus,

bus,patefacta atq; aperta omnibus horis habere.neq; illis, aut illorum miniſtris, opus deerat. etenim tam magnus erat adeuntium numerus, ut neque poſſent labori ſufficere, neque edulia, aut vinum, poſcentibus ſuppeditare. ſtrata ubique triclinia, ac poſitæ omnibus in locis menſæ conſpiciebantur, in impluviis, in cubiculis, in viis, ante oſtia: nullus erat inter diſcumbentes ſermo, niſi ut biberetur; provocabant ſeſe in potationem, atque alii ſeptenis, alii denis, alii quindenis, alii etiam vicenis ludos illos cyathis committebant. Erat in medio foro labrum marmoreum, amplum, latum, ingens; in hoc, paſtillis eſculentis, quos ibi macherones vocitant, caſeo ac butyro conditis, ad ſummum expleto, infimæ ſortis hominibus,à ſummo quodam viro atq; opulento, eo die datum eſt prandium: ex altera vero parte fons vini meri manabat, unde,macheronibus farti, ſitim expellerent. Ludi erant lepidiſſimi, videre hominum aviditatem, famem, ingluviem; ut raptim, ut tumultuoſe, ut avide prælium illud committerent; ut alius alium, aut capite, aut cubito, aut pectore pelleret, aut genu, ne ſibi edenti obſiſteret; ut ingentes unuſquiſque bolos ſibi in ventrem immitteret; ut prandium illud tuburcinaretur; ut avariter in ſe vinum ingurgitaret. Illinc poſt paulo in pompam delata ſunt præmia, iis danda, qui victores eſſent in curſu citati; quæ præmia tria erant, pro varietate ac genere eorum, qui in illud certamen erant deſcenſuri. tria enim, ut dictum eſt ſupra, hominum genera ad ejus diei curſum properabant, pueri, adoleſcentes, ac ſenes. At ſimulac ab illa hominum fæce atque quiſquiliis conſpectus eſt magiſtratus, continuo exceptus eſt ab eiſdem effuſiſſime, fauſtis vocibus atq; clamoribus. Quid multis moror? Nemo fere fuit in tanto civium numero, qui non eo die perſonam indueret, qui non tota urbe debaccharetur, qui non ludens, cantans, ſaltans, hilarem illum ſumeret diem. Poſtero die nihil eſt actum. ſed paululum omnes à ſuperiorum dierum bacchationibus, vigiliis, compotationibus,ac concœnationibus conquieverunt. qui autem illum conſecutus eſt dies, deo, cui Indici nomen erat, ſolemnis ac ſacer, dedit nobis amplam ridendi materiam. Fuere, qui dicerent,eo die ſolitam

tam esse piperis magnam vim inter quadruplatores delatoresque distribui: sed ex vulgi opinione magis, quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat: verum ex hac vulgi opinione vir quidam summus cepit occasionem, familiaris cujusdam sui, famæ parum secundæ, fidem vindicandi. erat hic illi intimus à cubiculo; verum in suspicionem venerat, quod regi cuidam barbaro, neque ita multum imperio illi fœdere amicitiaque conjuncto, clam per litteras arcana omnia detegeret. invitatus est igitur ab iis, qui erant consilii totius participes, ut secum ad ædem, divo illi sacram, religionis atque animi etiam causa prodiret. erat enim illa edito atque amœno in loco locata. Ille, qui esset ignarus, quos de se ludos præbiturus esset, non negavit, ac venturum se dixit. nec mora; rhedam inscendit. at ubi paululum progressus est, continuo aliæ complures rhedæ, quæ in angiportis clam dispositæ latebant, callidorum ac veteratorum hominum plenæ, subsecutæ sunt. quod cum ille ex strepitu rotarum animadvertisset, rogavit, quidnam eæ sibi rhedæ vellent. cui unus, Putasne, solos nos deorum esse cultores? aliis etiam eadem, quæ nobis, pietas inest ac religio; properant illo, quo tendimus, ut indant ignem in aram, deoque illi sacrificent. Sed simulac est ventum ad ædem, continuo, qui rhedis vehebantur, ejecerunt se in terram, & quemadmodum in officio novorum Poliarchorum fieri solet, cœperunt, detecto capite, eidem honoris gratia præire. Ille consistere, mirari, &, quemnam res illa habitura esset exitum, expectare; cum videt in aditu vestibuloque templi, venire sibi obviam æditiuum, argenteo cum polubro, piperis pleno, ipsumque rogare, ut, tanquam delatorum omnium magister ac dominus, partem suam piperis non recusaret accipere. ac tum demum, ludum se esse factum, intellexit; &, tumidus ira, ac præ pudore, ubi esset, ignorans, tacitus ludificatoribus suis in turba sese subduxit, in ædiculas ibi proximas immersit; & ubi primum, solis discessu, terris obortæ sunt tenebræ, noctis beneficio occultatus, domum clam rediit, ac, totum triduum, hominum conspectum lucemque vitavit. Proxima luce, ad solitam hilaritatem ludum-

que

que tota civitas rediit: & quoniam non satis liquebat, cuinam ex senibus, qui biduo ante cucurrerant, palma deberetur, revocati sunt rursus in cursum. Biduo post, eadem pompa, de qua dictum est, alia tria præmia deferuntur. hæc, ceteris preciosiora, proposita erant equabus equisque, tum vernaculis tum barbaris, ut ea in suo quisque genere sibi reciperet, qui certaminis victor pronunciaretur. Equarum præmium adepta est una ex equili nosocomii, Æsculapio dicati: equorum palmam, novo atque admirabili spectaculo, occupavit unus ex Coponii, equorum locatoris, stabulo. nam cum sessoris imperiti culpa eripi sibi victoriam intelligeret, eodem excusso, atque æmulis equis, impetu, morsu, & calce rejectis, atque infra se relictis, demum victor pervenit ad calces. Postremo Numida, quem diu adversa tempestate jactatum, tertium post mensem, fortuna in illud litus ejecerat, unum ex equis, quos navi advexerat, certamini objecit. hujus tanta dicebatur esse celeritas, ut per centena millia & quinquaginta, continuo cursu, sibi insidentem nulla fere lassitudine ferret. itaque tantum intervallum inter ipsum atque ceteros equos interjectum erat, vix ut illi in eodem curriculo esse viderentur. Noctu, nobilium liberi, regio sane ornatu, multos ad cereos, Trojam luserunt. Extremo eorum ludorum die, ducti sumus à Gallonio illuc, ubi totum illud spacium, quod decurritur, occidit, ut liceret aspicere, quemadmodum victores, eo decurso, palmam attingerent. quo simul ac prætores cum Poliarchis pervenere, præmiis in via relictis, conscenderunt partem quandam ædium ingentium, quæ ad eum locum pertinebat, unde erat prospectus usque ad ultimam viam, à cursoribus obeundam, statimque ab ædium earum domino, qui dicebatur esse nobilis quidam orator, ab amplissima Rep. atque omnium maxima, legationis jure ac nomine ad dynastas missus; statim, inquam, ab eo mittuntur illis large atque ampliter munera, nobis ante eum diem incognita: nimirum cucurbitæ, fere integræ, citrea, mala cydonia, Persica, pruna, atque alia ejusmodi, saccaro, cujus nomen vix Romæ auditur, mire condita, argenteis in polubris; quæ statim illi partiti sunt cum judicibus aliisque,

que, qui in eo comitatu aderant; unde ad nos etiam, Gallonii opera, qui plures eorum usu amicitiaque comprehensos habebat, pars aliqua non tenuis, tanquam à fonte, defluxit. nulla unquam esca palato nostro gratior atque jucundior accessit; adeo ut quasvis alias epulas, quantumvis lautas atque magnificas, præ illa fœnum esse dixerimus. Inter hæc exauditur clamor ingens, equo illi barbaro plaudens, qui fuerat pridie palma donatus. hic equabus equisque, qui tum mixtim currebant, infra se relictis, ad calces prope devenerat. sed inter exultationes succlamationesque populi, lubrico quodam in loco, fallente vestigia, una cum sessore, prolapsus, humi procubuit. verum, ante quam surgeret, ac sessorem dorso reciperet, præteritus est ab equo Ianiculi Ianii, quem ille rursus in certamen produxerat, ac præmio excidit. Erant ibi mimi, qui plura in prætereuntes dicta jaculabantur: sed nullum exauditum est, nisi proletarium ac frigidum; cujusmodi illud fuit, quod jactum est in pistorem, cui furnus, & pala ex ligno qua panis in furnum injicitur, male processerat, ac propterea decoctorum numerum auxerat, Bono animo es, nam, quod tibi pala detraxit, furca restituet: atque illud alterum, in pomilionem dictum, quem quidam, per jocum, appellabat gigantem, cum ranis bella gerentem. atque omnia ejus fere generis ridicula erant, quæ verbo, duos sensus habente, continentur; ut illud, quo eunuchus, illac pertransiens, visus est, à quodam, populo commendari, cum dixit, Subvenite huic populares, nam nisi vobis testibus utatur, uxore in perpetuum prohibebitur. hæc plerunque frigida sunt; & à vilissimo quoque jactantur. Sed ineptus sim, si velim omnes eorum ineptias commemorare, quibus licitum erat ineptire. Illud vero risimus, quod gradario cursu venientem ad nos asinum aspeximus, ut præmio potiretur. nam ex viginti ferme asinis, qui illud curriculum inierant, unus perpetuo illud tenuerat; ceteri, ut transversum aliquem angiportum adspexerant, quorum multis lata illa ac perpetua via distinguitur, statim illac, sive naturali ignavia, sive clamore perterriti, iter deflexerant, spacioque excesserant, neque ulla vi cogi potuerant, ut directum illud ad præmium

mium iter prosequerentur. Postremo, bubalorum cursu, tot dierum ludi completi sunt atque perfecti; qui bubali, inauratis cornibus, ac multis æneis crepitaculis ornati, tum stimulis agitati atque confossi, impellebantur in cursum. sed cum placide potius viam ingredi, quam naviter cursum capessere, viderentur, neque id magnopere laborarent ii, quorum intererat, suum aliis bufalum anteire; quæsivimus, quorsum illhæc tam insignis eorum indiligentia spectaret. respondent, nihil referre, quisnam sit prior quisve posterior, donec ad calces deventum sit; ibi enim magnam rerum commutationem fieri: nam præmio proximi, variis ignibus arte manuque factis, ac magnum ex se fragorem crepitumque edentibus, perturbati atque confusi, locum numerumque mutabant; &, qui erat postremus, fiebat primus, & qui primus, postremus. palmam tulit Argyrotychi, viri primarii, atque opibus, divitiis, honoribus, longe præstantis, bufalus; qui nihil eo strepitu crepituque flammarum exterritus, ausus est metam attingere. Diximus, quæ diversorum erant temporum spectacula, in aliquot dies continuos fuisse coacta. quamobrem illud etiam post hos ludos spectaculum redditum est, cujus specie ac voluptate vulgus maxime ducitur. id autem est, vetulæ, ut ajunt, serra per ventrem obducta, scissio atque diremtus. quæ fabula inde ortum habuit, quod illi homines, esuriales quasdam summa religione ac cærimoniis, ferias celebrant, quas pueri ac mulierculæ vetulam esse quandam fingunt, Esuria nomine, matrem esuritionum, fœdam, strigosam, atram, incurvam, tremulam, labiis demissis, gementem; & quoniam feriæ illæ multos dies auferunt, cum ad earum medium perventum est, rumor tota urbe dissipatur, vetulam sumi, ceteris capularem magis, & Acherunticam, quam, Esuriæ loco (cui cum immortalis senecta contigerit, nocere non possunt,) divaricatis cruribus, in publico serra secent ac dividant: & quo major ejus rei fides peregrinis fiat, quorum magnus semper numerus ex propinquis insulis in eam insulam confluit, biduo ante, insigne, in media platea, multis è tabulis, pulpitum extruunt, ibique ita apte serram accommodant, ut vetula illi subjecta com-

com-

commode dividi bifariam posse videatur. neque est difficile, homines simplices, & in moribus civitatis plane hospites ac rudes, in errorem inducere. immo iis facile persuadetur, hunc ibi esse morem, ut, qui scalas in eam plateam attulisset, ubi spectaculum illud erat edendum, easque parietibus plateæ circumductis applicuisset, singulos earum gradus, senis ac septenis etiam drachmis, cupidis spectandi locaret. unde plures, ex compitis, angiportis, tabernis, conspiciebantur cum scalis bene longis emergere; atque ille sibi felicior ceteris videbatur, qui grandiorem gravioremque humeris potuisset imponere; quod majori eam lucro sibi fore consideret. at, ubi longius processerant, ac propius ad forum, quo scala deferenda erat, accesserant, continuo eos lanii, pomarii, fartores, cetarii, ac præsertim piscatores, per quorum forum iter erat habendum, multa aqua perfundere, surpiculis piscariis cædere, lanea veste, polline aut atro fœdoque colore imbuta, verberare, album vel atrum ipsorum ori colorem inducere. qui demum exterriti, ac pejora metuentes, scalis abjectis, fuga salutem quærebant. atque hic erat eorum ludorum finis. Iam vero vocavit nos ad ingentem delectationem, atque adeo ad vehementem admirationem, illa ejus virtus, illa vis, illa sapientia, illa ejus absoluta omnibus numeris eloquentia, qui ob perfectam, ut antea diximus, omnium rerum scientiam, ob incredibilem memoriæ magnitudinem, ob paratam, de singulis rebus, quæ in disputationem cadunt, ex tempore dicendi facultatem, veteri nomine amisso, Teras appellatur. ingens nos olim cupido ejus audiendi incesserat; sed ob brevitatem temporis, quo illic fuimus, tanta hæc voluptas ab animis nostris absuit. at tunc peropportune nobis cecidit, ut eum audiremus, cum in solemni quodam sacrificio, cæsis diis immortalibus hostiis, & gratiis actis, suggestum conscendit, atque omnibus attente audientibus, cœpit, ita docte, ita eleganter, ita scienter, de deorum providentia, qua mundus gubernatur, loqui, ita acriter, vehementer, perditos hujus ævi mores insectari, ut non dicere sed tonare ac fulminare, non orationem sed flammam & incendium tradere videretur. genus dicendi acre, vehemens, incita-

tatum, atque ita ejus proprium, ut nemo illud imitatione posset exprimere; sententiæ acutæ quidem sed graves, dulces sed utiles, venustæ sed aptæ, quæque in animos influant. denique, nihil in ejus oratione desideravimus, quod in illam perfectam eloquentiæ formam ac speciem includatur. aderant viri duo, omnium doctissimi, alter, ejusdem quo philosophus ille instituti atque ordinis, Crepitaculo nomine; de quo mira quædam narrabantur, ac pene extra naturæ ordinem; nimirum eum, cursum suum transcurrisse, atque adeo magistrum antea, quam discipulum, extitisse: nam etiam tum adolescentem, ac pene puerum, omnia habuisse percepta, ac memoria comprehensa, quæ Aristotelis omniumque Philosophorum placitis continentur. addebant, eundem, adversis fortunæ fluctibus diu multumque jactatum, & ad varios ærumnarum scopulos, miserandum in modum, afflictum, demum Regis potentissimi patrocinio, tanquam portu exceptum, tutam ac quietam in litterarum studiis vitam exigere. alter vero, qui aderat, mathematicis disciplinis ad miraculum excultus esse dicebatur, unde etiam sibi opes & amicitias peperisset; verum ex oculari, quod tubum opticum vocitant, à se invento, quo res, infinito propemodum intervallo à nobis disjunctæ, atque adeo ab aspectus judicio remotæ, oculis subjiciuntur vel aliquanto majores repræsentantur, nominis sui memoriam posteris reliquisset. Eodem tempore emanavit à Poliarchis edictum, ut, cum postridie mane ludi, qui Kal. Maji dari soliti sunt, essent referendi, nemo sine aliquo flore, vel saltem sine aliquo viridi ramusculo, conspiceretur in via; quod si quis contra edictum fecisset, posset à quovis frigida impune perfundi, neque, madido, injuriarum actio daretur. itaq; bonum hercle factum, pro se quisq; ut meminisset, quæ imperata essent, pro imperio Poliarchico. quamobrem dabat unusquisque operam, ac novæ in primis nuptæ, ut, pro anni tempore, insignem aliquem florem, vel pretio, vel precibus, invenirent, quē capiti aut pectori insererent; ac passim tota urbe ambulabant, qui gelsiminos, caryophyllos, tum vernaculos tū Indicos, venderent; atq; allatum est ad nos, caryophyllū unum vernaculū drachmis decem venisse. ardebā cupiditate

tate incredibili cognoſcendi, ex quonam genere ludorum Ludi illi eſſent, qui tam amœno tamque feſtivo Maji nomine nuncuparentur. at Gallonius, Poſtridie, inquit, animus vobis explebitur, eorumque notitiam veſtris potius oculis, quam alienæ linguæ, referetis acceptam. Poſtero die læti conſurgimus, totum fere oppidum luſtramus; ac nullam fere domum invenimus, quæ protectos lauro vel hedera poſtes, vel ſaltē recentes ante oſtium ceſpites, non haberet; neminem offendimus, qui florem, vel ejus loco viride quidpiam non manu geſtaret. nos quoque, ne legi fraudem faceremus, neque, in pœnam delicti, frigida perfunderemur, floſculis manus ornamus, ac, tuti ab injuria, Buleuterium aſcendimus. ubi, ante illas ædes ſumptuoſas atque magnificas, proceram arborem, ſuo denudatam cortice, multoque perunctam ſevo, conſpicimus; è cujus vertice pendebant farcimina, caſei, ligulæ Sericæ, palumbi, aviculæ, & alia id genus multa, quorum precium minam non excedebat. Iam plenum erat forum, parata omnia, neque aliud expectabatur, niſi ut à Poliarchis prælii committendi ſignum daretur. ſed eorum unus ceteris erat in mora, qui dicebatur, apud tonſorem barbam ponere, & ſupervacuo pondere caput exonerare: huic omnes abſenti mala multa ingerebant, quod, humili loco natus, ita ſe gereret, ut ſi longa ſerie Regibus atque Principibus eſſet annexus. nam, quia paululum ipſi pecuniæ acceſſerat, ita elati erat animi, ut nunquam cum aliquo opifice, quamvis præſente, niſi per internuncium, loqueretur. verbi cauſa; cum tonſor barbam illi capillumque tondebat, ſpeculum manu tenebat, &, ſi quid à tonſore titubatum animadvertiſſet, puerum, qui erat ipſi à cubiculo, quique in proximo conclavi ejus imperia præſtolabatur, evocabat, atque, Heus tu, ajebat, dic tonſori, ut genis barbam altius reſecet. quod cum feciſſet, rurſus eum revocabat, atque, Heus tu, dic tonſori, prolixius mihi mento barbā effluere, proinde paululum ferro coërceat. eundem morem ſervabat in ſutore, cum novi illi calcei afferrentur. nam, eo præſente atque audiente, puerum, qui ſemper in alíud cubiculum ſecedebat, his verbis evocabat, Heus tu, cui cum præſto eſſet, ajebat, Dic ſutori,

ri, calceum hunc dextero pedi non ita apte hærere, sed eo esse aliquanto laxiorem; proinde videat, unde error emanet, atque illum corrigat. In pauca ut conferam, nunquam visus est, cum opifice aliquo, quamvis præsente ut dixi, nisi per interpretem loqui. qui tandem, diu expectatus, lepide tonsus, eleganterque calceatus, aliis Poliarchis stomachantibus, adfuit. Nec mora; Poliarchi omnes populo se in conspectum dant, in mœniana, tapetiis pulchre vestita atque ornata; qui simul aspecti, & excepti sunt populi clamore, tympanorum strepitu, tubarumque sono. Tum, signo dato, veniunt in medium, in veste linea, qui parati erant, Majum, id illi arbori erat nomen, scandere, divisi in classes quatuor, ex ultima plebe conflatas. Fit pugna inter eos & contentio, quinam primum arborem illam accedant, eamque conscendant. res agitur pugnis, colaphis, calcibus, cubito, genu, pede: itaque se invicem urgebant, pellebant, verberabant, supplantabant; alter alteri os, caput, collum, feriebat, contundebat, commitigabat, ut nullum autumno pomum sit æque mite, ut illorum erant ora & capita pugnis mitia ac mollia. denique, unusquisque erat alteri pro gymnasio, in quo ille verberando se exerceret. atque hæc omnia ad populi sibilos, ad tubarum sonum, ad tympanorum strepitum fiebant. at quæ pars, rejectis aliis, superior discesserat, Majum ambiebat: tum unus, ceteris audacior ac promtior, manibus, genibus, pedibus eidem advolutus, conabatur sursum ascendere; sequebantur alii, ex eodem grege, cum castulis, ac sacculis plenis arenæ, cujus ope auxilioque tentabat ille, an trunco illi, nodis vacuo, ac sevo, ut diximus, delibuto, manibus posset hærere: ac sæpe fiebat, ut, qui ad verticem usque se contulisset, statim deorsum, omnium cum risu, relaberetur. sed, cum tandem unus, prope rependo ad summum arboris egressus, potuit ramos, ibi prominentes, manibus apprehendere, confestim, in signum victoriæ, uni ex avibus ibidem alligatis vincula demere, ac facere potestatem avolandi quo vellet, deinde pendentia indidem præmia per vim evellere, rapere, sociis tradere; postremo direptis rebus omnibus, & in culeos ablatis, omnes ejus gregis, ovantibus similes, discedebant,

debant, seque aliquo in popinam immergebant, neque ad vesperam usque edendi potandique finem faciebant. Interea magnum nos desiderium ceperat amicorum, quos domi reliqueramus; ac me præsertim Aristidis conveniendi, videndi, amplectendique cupido ingens incesserat, cujus amœnissimum suburbanum cum eo sæpius adieram, ibique ad omnem animi remissionem ludumque descenderam. cujus cum mihi veniret in mentem, & anni tempus lepidissimum, nimirum autumnus, miram ejus inspiciundi perfruendique voluntatem injiceret, angebar animi, quod tantam mihi voluptatem locorum intervalla præriperent: sed ceteris spes reversionis leviorem eam molestiam efficiebat. Itaque, cum antea scripsissem, nos illuc brevi adfuturos, his cum eo versibus lusi.

Nunc tua nunc tempus lepido nitidissima vultu
Rura fere totos concelebrare dies;
Mensibus Autumni lætis cum vinea sulcis
Ipsa suas gremio divite jactat opes,
Nectare cum liquido vel plenis uva racemis
Albet, vel Tyrio murice tincta rubet,
Arboribus pendent curvi cum pondere rami,
Ac niveos ficus puniceosque ferunt,
Pomaque virgineum frontis referentia cultum,
Ac tectas pingui veste virente nuces.
Eja age, formosi pateant mihi ruris honores,
Neve obsit durus janitor ante fores;
Vel tecum rheda de more invectus, amœnam
Ingrediar villam, subsiliamque nemus,
Et qua subjectos prospectat collis in agros,
Vel Iovis æterni regia tecta videt,
Aut ubi conspicuus liquidis fons obstrepit undis,
Plurimus & laxo piscis in orbe natat,
Vel patulæ fagi, frondosæ aut vitis in umbra,
Dum recinunt tenui gutture carmen aves,
Te spectem gaudens, adsim tibi dulce loquenti,
Et cupidas aures ad tua dicta feram,
Vel si percurras speciosa volumina Tullî,
Vel relegas docti carmina culta viri,
Europa aut quinos deductum carmen in actus

Si resonet claro dulcius ore tuo,
Carmen, quod dudum, sic te mandante, peregi,
Cui soli ingenium serviet omne meum.
Adsit Alexander (ni invisa negocia nolint)
Quodque leges, avidis auribus ipse bibat:
Cui tam Plautini numeri placuere jocique,
Innumeri cujus, te referente, sales
Longe majorem sunt visi habuisse leporem;
Tanta tua, memini, gratia vocis erat,
Iratamque mea est facies imitata catellam,
Libera dum risus detinet ora frequens.
Intermissa igitur repetamus gaudia ruris,
Et properet risus, ludus, amorque, jocus.

Proximus jam dies illuxerat; &, cum etiam tum in lecto essemus, audimus, evocari à janua Gallonium. hic erat amicus quidam ejus summus, atque sodalis, qui introductus, magna vi petere à Gallonio cœpit, ut domum suam veniret, equos ligneos spectatum, qui, eo die, liquido erant in stadio decursuri; ubi etiam paratum erat prandium, ut assolet in his ludorum celebritatibus: etenim nullam fere esse domum, unde ludi illi spectari jucundius possent: nam se dedisse operam, ut inde prospectus ad metam usque pateret, ad quam esset decurrendum: proinde manum daret, & sequeretur. Gallonius hospitii jura objecit; nunquam enim se commissurum dicens, ut nos relinqueret, quò foras commissatum abiret. Immo, ait ille, duc tecum etiam hospites: atque adeo, ut tu sis sciens, nunquam pedem hinc efferam, nisi promiseris, teque una cum illis venturum constitueris. Placide, inquit Gallonius, abstine ab ira, nihil opus est minis, si duobus istis hospitibus meis futurus est apud te locus: quin insanirem, capital facerem, si, relicta tua cereali mensa, meam quotidianam inopemque persequerer: nolo tanto me scelere obstringere, nolo tantã ventri meo injuriam damnumque conflare. quamobrem, si non es occupatus, si non est molestum, si lubet, tantisper mane, dum isti se lavent, vestiant, poliant: tum ultro dabimus ipsi nos tibi tanquam judicatos, ut vincias, ducas, rostrisque ad mensam tuam pollucibilem alliges. Tum ille, Satis verborum est, ait; quanto facias rectius, si agas,

gas, quod agis, ac properes venire? It dies, ac me necesse est domi quamprimum adesse. sumptoque in manus Virgilio, cœpit clara voce ludos, in Anchisæ honorem editos, legere. nos interim quærimus de Gallonio, quinam sint isti equi lignei, & quænam sint viæ liquidæ, per quas illis decurrendum esset. respondet, omnis generis navigia hoc ab eis nomine appellari, quod iis, non minus per liquidas cæruleasque vias vehamur, quam mannis & canteriis per itinera sicca atque terrestria. hodie, inquit, propositis præmiis, futurum est, piscatores inter, certamen, uter eorum, sua vectus horia, Albam (quod est flumen intra urbis mœnia fluens) excurrerit, ac metam attigerit. delectabit vos, istos etiam ludos adspicere, atque apud amnem frigidissimum, molestos istos intempestivosque calores abigere, qui hoc tempore autumni desæviunt. Eamus, inquit Paulus Æmilius, gestio ab hoc etiam ludorum genere voluptatem mihi parare. Tum Gallonius, Amice, ubi vis, ait, duc nos quo lubet; jam tibi nulla, neque in me neque in istis, est mora. Itaque ille præire, nos sequi. Sed simulac è limine pedem extulimus, fit nobis obviam quidam, pallio ad talos usque demisso obvolutus, qui quamvis se conaretur occultare, non potuit tamen Gallonii notitiæ subducere; qui, Dii boni, inquit, ubi sunt circumpedes, quibus iste stipatus incedebat? quonam, obsecro, evolarunt? ubi est rheda, qua vehebatur, quonam gentium exulatum abivit? Audi, inquit amicus, res est ridicula: hic, tum ex mercede, quam locandis ad aliena negocia operis suis exegerat, tum ex fructibus, quos ex pingui sacerdotio collegerat, ac præsertim ex eo, quod, suum defraudans genium, comparserat annuos sibi redditus, talenta ad tria magna pepererat. sed cum partæ opes atque divitiæ aliam sibi viderentur vitam, alios mores exposcere, ut esset, in quo eas posset honeste profundere, obtinuit, ut pullatos inter Epistatas cooptaretur: ac statim cœpit obolis duodenis obsonare, cum quinis antea soleret; tum circumpedes, qui ipsum sectarentur, quatuor mercede conduxit, rhedam paravit, ædes invenit, instruxit, ornavit, quæ adeptum honorem in primis decerent. sed deinde, in otio, magnitudinem sumptus cum ani-

animo suo reputans, quo lacerari rem suam videbat, & augeri alienam, cœpit stulticiæ ipsum suæ pœnitere, hominum ambitiones execrari, veterem statum cupere revocare si posset, ac dicere, Quid ego egi? in quod me conjeci malum? perii miser. ne multa; ex ægritudine in morbum incidit. arcessitur medicus, adest, apprehendit ægro brachium, atque ex venis, æqualibus intervallis sese moventibus, omnem comperit ab eo febrim abesse. sed, qui probe hominem nosset, statim, quo genere morbi laboraret, invenit; atque, Hujus, inquit, morbi causam reperisse me arbitror; sed in manu tua est, vim ejus effugere: nam si circumpedes duos domo, quantum potest, extrudas, si paucioribus obolis obsones, maximam tibi hujus ægritudinis partem præcideris. Ita me dii ament, inquit ille, ut tu medicus es præter ceteros; immo bonus poteras esse ariolus; bene, docte, prudenter; id mihi ægre est, id mihi dolet; perge. Iam vero, subjicit medicus, si circumpedes omnes, in malam rem jubeas abire, si sumtibus parcas, quos facis in rheda, si veterem in reliquo victu abstinentiam revoces, omnes tibi è corpore morbi maculas eximes: secus enim, nego, te posse sanari. Hui medicum elegantem, exclamat; nemo poterat melius medicinam facere. jam non Hippocratis modo sapientiam, sed ipsum etiam in te Hippocratem immigrasse, adigor ut credam: vah, quanta vis doctrinæ! quantus rei medicæ usus! jam mehercule sic agamus, morbi causæ removeantur. Nec dimisit tempus; nam proscripsit illico rhedam, equos produxit ac vendidit, domum, dimissis famulis, vacuam fecit, mensam, longius sumptu progressam, ad veteris parsimoniæ rationem revocavit. Dum hæc maxime loquitur, venimus ad ædes in fluminis ripa locatas, amœnas sane atque affabre factas, ubi, qua parte à flumine alluuntur, facta ab ædilibus potestate, mœniana ille temporaria, Sericis intenta velis, extruxerat, unde, non solum erat prospectus in flumen, verum etiam in nemora, colles, atque vineta, quæ in adversa ripa virebant. Diu aspectus ille jucundissimus oculos nostros detinuit, ac pavit; sed nondum expletos saturatosque proximum ad se conclave attraxit, lucidum, elegans, ornatum, ubi pa-

ratum erat ample magnificeque convivium. ſed dum tabulas pictas ſuſpicimus, dum ſigna, ex ære ac marmore, laudamus, dum varios ſermones cædimus, magna diei pars labitur, hiræque latrantes cœperunt nos prandii admonere; ac prior dominus, domus, Cur, inquit, diei nocemus? cur non imus accubitum? jam paratum eſt prandium; jam ii, quibus paratum eſt, adſunt. Qua ejus voce compulſi, lectos inſcendimus, prandium inimus, et ciborum turba refertum, ut, quid potiſſimum ſumeres, ignorares. at nos, ceteris prætermiſſis, unumquodque quod erat belliſſimum, carpſimus. ſed poſtquam bibendi, veſcendi, fabulandique nos ſatias cepit, ſurgimus, & ad mœniana contendimus, commodum, cum ad flumen juventus, natandi cauſa, conflueret; quorum juvenum is erat numerus, ut iniri vix poſſet; ac, detractis ſibi veſtibus, fere omnes ſaltu, vel ex cymbis, vel ex ſaxis ſeſe jaciebant in amnem, unde alii capite, alii pube, alii crurum tenus extabant, alii ſupinabant ſeſe, ac cubantibus ſimiles, ferri ſecundo amne ſinebant. Sed cum jam calores magna ex parte remiſiſſent, ab omni fluminis parte, lembi, cymbæ, lintres, ſcaphæ, tanquam ex abdito, emerſerunt, cœperuntque ultro citroque diſcurrere, atque aliæ, protectæ velis, vel viridis vel crocei vel cærulei coloris, à remigibus pellebantur, varia atque eleganti veſte indutis; aliæ ſymphoniacos, aliæ muſicæ peritos artis, ſuaviſſima canentes voce, deferebant; aliæ tympanotribas, tubicines, cornicines, evehebant; aliæ peregrino milites habitu, gladiis Perſicis ſuccinctos, deportabant; qui navigium identidem ſtatuentes, ad tibiæ cantum, ludicrum armorum certamen exhibebant; aliæ, hilares, ludentes, vino genioque indulgentes, ac permiſtos fœminis viros continebant. Inter hæc omnia, majus quoddam navigium, onerariæ par navi, adverſo flumine veniens, aſpicitur; &, quod erat admirabile, neque remiges neque remi patebant, quorum illud impetu pulſuque promoveretur. quod navigium, non procul à nobis, quaſdam ante ædes conſtitit, ubi dynaſta Parthenius ludos illos ſpectare dicebatur. nec mora; pugiles, ad viginti, in ſtega apparuere, ibique pugilatum inceperunt: qui ita ſtrenuam, ita fortem operam dederunt

runt, ut eorum nemo, quamvis male cœstibus contusus, ingemisceret. His defessis, ac prope ad languorem datis, successere totidem alii, integri atque recentes: hi luctatores erant validi atque robusti, quos præmii spes in pugnam attraxerat, ac nudi atque peruncti, dum initium luctæ daretur, expectabant: cum tandem eorum unus, sorte ductus, cum altero, qui se obtulerat, prior sese composuit. Lex certaminis erat ejusmodi, ut, qui ex aliquo pari adversarium, atque alios vicissim duos, ad terram dejecisset, certum in locum secederet, tantisper dum alii de tribus itidem victores evasissent; tum, cum eorum unoquoque singulatim depugnaret, ac, si eos ad unum omnes profligasset, præmio potiretur, sin minus, illud ejus esset, qui ceteris ad terram abjectis rectus extitisset. Atqui videre erat alios, summa totius corporis firmitate complicatos brachiis, tanquam laqueis, adversarios profligare atque prosternere, alios, suis diffisos viribus, eosdem dolis supplantare atque subvertere. at ubi quisquam alteri succubuerat, continuo præsto erat unus cum vini cyatho, quem victus victori propinabat: id erat conciliatæ inter ipsos gratiæ significatio. His ludis expletis, quo artificio navis illa prodierat, eodem abscessit. ac novum quoddam ludi genus inchoatum est, nobis antea incognitum. pendebat, in medio funis, ad utramque fluminis partem alligati, per pedes anser, futurus præmium illius, qui avulsum à reliquo corpore ejusdem collum retulisset; quod cum natatores multi, suis cymbis evecti, sæpius conarentur, minus assequi poterant: nam partim, anseris collum apprehendere, partim illud nequibant abrumpere; ac fiebat, ut isti diu in aëre dependentes, ac sua corporis mole deorsum abrepti, vel in cymbas, vel in profluentem, omnium cum risu, devolverentur. Duabus circiter horis in hac hilaritate consumtis, horias ad duodecim, pari fere impetu venientes aspicimus, atque ex clamore hominum, ex tubarum sono, ex lictorum edictionibus, qui cymbas, ultro citroque commeantes, decedere, atque ad ripas appellere imperabant, eas esse horias comperimus, quæ inter sese de præmio certabant. Erat autem earum cursus ita incitatus ac vehemens, ut avium potius volatui, quam navigii cu-

cujuſpiam celeritati propius videretur accedere. inſtabant remiges, urgebant, quantum vis humana poterat, remis undas pellebant, verberabant, findebant. earum una, in oculis noſtris, antecedentem alteram, gravi ictu percuſſam, ſubvertit ac ſubmerſit: remiges, narandi arte periti, ad ripas, ad unum, incolumes pervenere. neque illis minore fuit opus artificio: nam alioqui in rapidiſſimos vortices illapſi, ab iiſque abrepti, facile fuiſſent in profundum abſtracti. alia, quæ ad proximum vadum impegerat, cum nemo eſſet qui eam conaretur extrahere, conſtitit; ceteræ omnes curſum tenuere. Non expectavimus, dum, præconis voce, certaminis victrix citaretur: ſed gratiis amico, qui nos tam liberaliter acceperat, actis, diſceſſimus.

Omnium poſtremi ludi erant plebeii, quibus dies proximus erat allaturus initium, quibuſque decreveramus non intereſſe, ſed domum abire; quod ferebamus moleſte, Gallonio nos tanto eſſe ſumtui tantæque moleſtiæ. ſed caſtigati ab eo, qui, quod in nobis ſumeret, lucrum eſſe, non damnum, ajebat, profectionem in biduum diſtulimus. Atque, ad ludos iſtos quod attinet, ſi ſuo tempore fiant, menſe Majo, octavo quoque die, à plebeiis hominibus celebrantur, quo die opifices, ab operis feriati, totos hilaritati ſe tradunt. hi ſummo mane, una cum uxoribus ac liberis, ſecedunt in agrum, duobus circiter millibus paſſuum procul ab urbe, olim celebri cuidam familiæ, ab Imperatore C^phto dono datum, & ſecum equos, aſinos, vino, pane, caſeo, aliiſque cibariis onuſtos, adducunt; quibus parvulos etiam pueros ſuos & infantes imponunt; ferunt etiam citharas fides, ſiſtra, atque alia ejuſmodi inſtrumenta muſica, ad quorum cantum vocem exercendo, itineris moleſtias leviores efficiunt; tum perveniunt in æquatam agri planiciem, arboribus fere in quincuncem diſpoſitis conſitam; in cujus ſummo, rudi ac ruſticano opere factus fons ineſt, cujus aquæ frigidæ, dulces, nitidæ, atque perennes, ad irrigandum eum locum ſeſe diffundunt. ante hunc fontem, menſa marmorea, longa, quadrilatera, varias inter ac proceras arbores, paulo ſupra terram extenditur; quam qui prior occupat, beatus habetur. hic ani-

mi curis ac ſolicitudinibus valere juſſis) dant omnes ſeſe variis ac jucundis oblectationibus. nam alii ſeorſum à ceteris ſaltant, alii puellarum choris immiſti, feſtas atque alacres ducunt choreas, alii cithara, alii voce, alii fidibus canunt, alii olea, alii trocho, alii pila datatim ludunt, alii ligneis orbiculis vel lamellis certant, uter propius ad lamellam vel orbem accedat, qui, ſigni gratia, præmittitur, ad quem ceteri dirigantur; alii amant, alii potant, alii currunt; omnes denique paulo ante meridiem, una cum uxoribus ac liberis, in herba ſeſe projiciunt, & ad arboris cujuſpiam umbram edunt, potant, animo obſequuntur, atque onerant ſeſe hilaritudine. veniunt eo citharœdi, fidicines, & ad citharæ fidiumque cantum, extemporario carmine, de diſcumbentium virtutibus canunt, à quibus deinde, grati ſcilicet animi cauſa, auferunt, vel vini cyathum, vel carnis porcinæ vel vitulinæ fruſtum, vel pulli gallinacei alam, vel placentæ vel caſei partem. accurrunt eodem omnis fere generis meretrices, ſive mercatorum amicæ, ſive ſervulorum ſcorta diobolaria. Verum, eſca atque potione expleti, ſanctæque Saturitati gratiis actis, ſurgunt omnes, ac largius etiam quam antea, ſaltationes, cantus, choreas, alioſque ludos, quos intermiſerant, repetunt, & uſque ad occidentem ſolem fere producunt. multæ, inter æquales, horum ludorum cauſa, affinitates, multæ inter inimicos pactiones & fœdera conciliantur. is denique horum ludorum eſt finis, ut, cum adveſperaſcit, omnes eadem qua venerant alacritate domum revertantur. Ludis omnibus tranſactis, cum jam nihil eſſet, quod detinere nos poſſet, nullis Gallonii precibus, nullaque ejuſdem vi, retineri potuimus, ne ad penates noſtros, unde nos ille deduxerat, reverteremur. atque adeo fortuna noſtris optatis ac votis occurrit, ut eadem, quæ nos advexerat, navis è portu jam ſolveret. quamobrem multis Gallonio gratiis actis, ac laribus vialibus, ut nos bene juvarent, invocatis, in eam conſcendimus, ac diis, ventis, atque hominibus operam dantibus, ſalvi & incolumes domum revenimus. Sed civitatem ſane commotam ac perturbatam offendimus, graphici cujuſdam ſycophantæ lepidiſſimo furto. atque eo perturbatiore erant omnes animo, quo vide-

bantur ab omni spe prorsus exclusi, ejus sycophantiæ vindicandæ. nam celeriter ille surripuerat sese de urbe, ac jam longius abierat, quam ut eum quisquam, omnibus ut ajunt velis remisque, consequi posset. Est ibi caupo, non sui solum ordinis, sed multo etiam superioris, longe locupletissimus: hic nobilem cauponiam facit, neque cujusvis sortis homines excipit, sed viros tantum nobiles, ac si usus veniat, ipsos etiam Reges atque dynastas. etenim ea est illi supellex, ut non ad unius privati hominis usum, sed ad regalis magnificentiæ cultum, comparata esse videatur. in ea sunt peripetasmata, aulæa, toreumata, vasa Corinthia, argentea, tum pura, tum sigillis emblematibusque perfecta. hæc in adventu virorum principum solitus est palam exponere. præterea magnam vim pecuniæ in arcis armariisq; semper habet inclusam, solutam ab iis, quos exceptos hospitio, lepide nitideque, suis sumtibus, alit. hujus bonis sycophanta quidam callidus ac doctus inhiabat, atque id unum præter cetera studebat, quemadmodum cauponi manum adiret, ejusque ad se habentiam averreret. verum, die quodam, cum, in regionem suarum astutiarum ingressus, omnes perlustraret, ea illi maxime placuit, quæ monebat, ut, si vellet ea quæ cogitaverat sibi feliciter cedere, ad cauponis amicitiam aditum aliquem viamque muniret. itaque venit ad eum ac simulat, se summum quendam virum esse, ex remotissima nescio qua insula, illucque navigio advectum, ut, regionis amœnitate, à curis animum relaxaret; propterea velle apud ipsum divertere, ubi sciret, hospitibus bene esse solere ac laute; sibi autem esse in animo pecuniæ non parcere, quo mollius nitidiusque curetur. Caupo gratias agit, neque alium esse locum affirmat, ubi sibi lepidius esse possit, quam ibi. Admissus igitur cauponis in domum, nihil sibi esse faciendum prius existimavit, quam ut sese penitus in ejus familiaritatem immergeret. neque res fuit magni laboris ac temporis. nam brevi totum hominem possedit. at ubi videt, satis sese ad illum insinuasse, segregat eum solum, ac, Tu is, inquit, in me benefactis facile superas, ut sis mihi superior quam quisquam alius, atque aliquid propter me tibi eveniat boni: verum id, cujus nunc occasio datur, non

illud

illud eſt, quod pueri clamitant in faba ſe reperiſſe, ſed Crœſi divitiæ, ſed montes auri. quamobrem ſi fidem das, te taciturum, veram tibi cauſam, quæ me huc adegit, exponam. Caupo, pecuniæ ſtudioſus in primis, hac oratione erectus, affirmat, jurat, quod apud ejus aures depoſuiſſet, ſalvum indidem eum eſſe ſumturum; immo non tutius fidei quidquam, quam ſibi, committi. Ille igitur, non ſolum ſe, inquit, eſſe cum primis domi ſuæ nobilem, verum etiam Aſtrologum ſummum, ariolum, divinum, ac magicæ artis longe peritum, ejuſque artis beneficio perſpectum habere, in quadam parte publici agri, cujus loci ſigna ac notas probe teneret, ingentem latere theſaurum; hunc ſe velle defodere, cum eoque partiri; ſed opus eſſe ſilentio: nam ſi id cuipiam ſuboleret, utrumque pœnas legibus eſſe daturum, quæ vetant, glebam unam in publico agro commoveri, niſi prius facta à magiſtratibus poteſtate; ſed nondum tempus idoneum ad eam rem eſſe, quod eſſent expectandi ſiderum quorundam ortus compoſitioneſque, ſine quibus quidquid ipſi tentaſſent, teterrime caderet; verum, ut ex cæli converſione perſpectum haberet, tempus illud propius abeſſe. idque malus ea cauſa faciebat, ut poſſet hominem diutius exedere. nam poſtquam piſcis hamum voraverat, perinde, tum in prandiis cœniſque, tum in ceteris rebus honorifice eum habebat, ac ſi Rex aliquis eſſet, vel Imperator eximius; ac ne verbum quidem de mercede faciebat; quod crederet, omnia ſibi largius, quam vellet, ex theſauri maſſa proventura. interea novus ille magus, quo ejus ſpes aleret, quotidie, obortis tenebris, ducebat eum in apertam atque patentem agri planiciem; ibique, ſumto in manus aſtrolabio, ſiderum motus ſe notare aſſimulabat. ſed cum quatuor jam menſes abiiſſent, neque amplius prolatando, ac diem ex die ducendo, ſine fraudis ſuſpicione poſſet hominem ludere, die quodam fit illi obviam, ac lætus venit, exclamat, Venit nox illa tam expectata, tam amœna, tam hilaris; quæ te ex cauponibus, hominum mendicabulis, eximat, atque, ob divitias, regibus ipſis exæquet. quamobrem, concubia nocte, illuc quo duceris, cum ligonibus iſtis quos aſſervandos curabis, mecum eas oportet, defoſſoque terræ gremio,

illum

illum ex ea fœtum extrahamus, qui jam diu luci deripitur. sed quia magicis cantionibus sunt prius manes evocandi, ac vinculis constringendi, atque ii præsertim lemures, quibus thesauri custodia commissa est, (nam secus, omnis noster labor esset inanis ac vacuus,) ideo quotquot tibi domi sunt claves, in medium afferas; nam iis, cum mortuorum ossibus, ac certis herbis, ad minorem lunam resectis, brevem illos in gyrum, quem radio descripsero, compellam, in eoque concludam, & tanquam obserabo, ne commovere se audeant. Ille, qui nihil etiam tum mali suspicaretur, quidquid habebat clavium, in medium attulit. quarum simulac ille potitus est, ad Tresviros recta contendit, ac, Si mihi, inquit, fides publica datur, thesaurarium vobis furem manifestarium dabo. Iussus, fide publica, dicere, indicat, cauponem illum divitem convenisse secum, ut proxima concubia nocte, cum ferramentis, ad agrum publicum accedant, ac thesaurum ibidem abstrusum effodiant, ac, si sibi minus credant, conquisitores illius in domum immittant. nam invenient, inquit, in culina, in angulo, ad lævam manum, ferramenta ad fodiendum necessaria. illi, lictoribus missis, hominem statim cum tota familia comprehendunt, & in carcerem condunt. at sycophanta, occasionem tam lepidam nactus, clavibus, quibus inferna monstra decreverant in gyrum concludenda, angulos omnes ædium & conclavium miseri illius cauponis sibi pervios facit, capsas & armaria omnia aperit; atque inde thesaurum eruit, magnam videlicet vim argenti, ac preciosa alia multa; quæ omnia convasata, in navigium, quod pridie conduxerat, attulit, ac nemine persequente, in alias regiones, longe ab iis disjunctas remotasque, se contulit. sed paucis diebus post, caupone è vinculis exempto, ac pecunia multato, hujus doli detecti sunt; quos cum non possent magistratus vindicare, omnes cives animo erant anxio atque suspenso. Nos, publicis curis in eos ad quos pertinebant rejectis, ab omni solicitudinis mœrore animos nostros curamque laxare nitebamur: ac frequenter domi Charopini cujusdam eramus, locupletis hominis ac nobilis; qui cum esset omnium rerum imperitus ac rudis, inter litteratos haberi

beri volebat, &, cum vix poſſet librorum indices legere, inſignem bibliothecam, omnium librorum varietate refertam, extruxerat; in quem invenimus ſcriptos hos verſus.

Scriptorum totis famoſa volumina terris
Colligis, & pluteis das, Charopine, tuis.
Quid tibi cum libris, quorum nec nomina ſaltem
Nec titulos promta voce referre queas,
Quoſque ſinis, multo conſperſos pulvere, blattis
Et gratas avidis muribus eſſe dapes?
Nam nullum tangis, ſed, tanquam ſacra prophanus,
Non digna metuis collutulare manu.
Numne times fias, tractandis forte libellis,
Doctior, aut ſtolidus ſis ſtupiduſque minus?
Hoc cave te moveat; ſic eſt tibi craſſa Minerva,
Proficere ut valeant plus, mihi crede, ſues.

Sed erat plane vir bonus, ac nobis in primis amicus: ſed citius, ut dicitur, flammam in ore ardentem contineas, quam vir acutus ingenioſuſque bona dicta teneat; bona ſcilicet dicta, quæ, ut quidam interpretantur, ſalſa ſint atque ridicula.

IN EVDEMIAM
IANI NICII ERYTHRÆI.

IAne, pluis: multus lepidi ruit imber aceti.
Tempus erat: pellant, hoc Iove, ſecla ſitim.

GREGORIVS AYALA.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 35. *lin.* 1. *ita interpunge:* ridendave, conjux, *& l.* 2. *pro* ſuæ ? *lege* tuæ ? *p.* 61. *lin. penult. & ſeq. poſitus verſuum Horatianorum eſſe debebat , qui in ejuſmodi odis eſſe conſuevit. p.* 70. *l.* 29. *ubi exemplaria aliqua habent* ingens, *lege* inſignis. *p.* 95. *l.* 29. *pro* polliceretur *lege* pollicita eſſet. *p.* 129. *l.* 8. *pro* cur. *lege* ſic. *p.* 151. *l.* 6. *lege* antiſtite. *p.* 227. *l.* 24. *lege, ſine interpunctione media ,* velitaribus haſtis. *Mittimus minutiora cætera.*